Medical Library

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
FEBRE PESTILENTE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

GULIELMI TAYLOR, S. S. T. P.

ACADEMIÆ GLASGUENSIS PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

MICHAEL HARKIN,

HIBERNUS,

SOC. COL. REG. CHIR. ET SOCIET. PHAR. LOND.

Die 1mo Februarii, hora locoque solitis.

Nè gia fù sonno il suo queto, e soave:
Ma fù Stupor——————————
Non men che morte sia, profondo, e grave.
E riposo dormendo anco non have:

Gierusalemme lib. cant. viii.

Nec poterat quisquam reperiri, quem neque morbus
Nec mors, nec luctus tentaret tempore tali.

Lucret. lib. vi.

GLASGUÆ:

EXCUDEBANT J. GRAHAM AND CO.

1820.

HONORATISSIMO

CAROLO JOANNI GARDINER,

COMITI DE BLESINTON,

&c. &c. &c.

VIRO NON MINUS NOBILITATE,

QUAM

EXCULTI INGENII DOTIBUS PRÆCLARO:

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM,

PRIMITIAS EXPERIENTIÆ SUÆ

DE FEBRE PESTILENTE,

EJUS SUB TUTELA

PAUPERIBUS FELICITER DEPULSA NOSTRATIBUS;

SUMMA CUM OBSERVANTIA

GRATOQUE ANIMO

DICAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE PESTILENTE,

QUÆ ANNO 1817,

IN HIBERNIA GRASSATA EST.

PROŒMIUM.

OMNIBUS ævis, sed præcipuè antiquioribus, Febris Pestilens multis sub nominibus, totas regiones depopulavit. Vix ulla terra dirissimam hanc cladem evasit. Non solum medici, sed etiam historici atque poetæ, strages ejus crudeles commemoraverunt. Hippocrates verè medicorum pater et princeps, multa de ea scripsit, etiamque hodie, in hac regione, suæ tam longe dissimili, febrim tamen pestilentem tam consimilem esse admiramur. Thucydides in historia de bello Pelloponesiaco, pestem quæ agrum Atticum vastavit, eloquentissime et fidelissime depinxit. Lucretius quoque poeta, de natura rerum, hanc eandem pestem pulcherrimè cecinit. Sed nunc non mihi in animo est, nec in promptu, historiam febrium alienarum ex auctoribus depromere; sed veram tantum descriptionem, quan-

tum possum, tradere, istius febris, quæ Epidemica, inter nostrates in Hibernia, tamdiu, tamque funeste, grassata est.

Medici antiqui omnes et Græci et Latini, cunctas febres ex calore præcipue, nuncupabant. Hinc a Græcis πυρετος a πυρ ignis—Καυσος a Καιω uro—et Τυφος a Τυφω accendo, vel Τυφος stupor—a Latinis quoque, a ferveo, febris dicitur. Typhus igitur, quo nomine nunc febris pestilens in his terris fruitur, vel a calore vel stupore verè nominari potest. Hæc nostra quoque febris, aut propter calorem, aut stuporem, aut ambo simul; Typhus quoque jure dicatur.

Eximius Cullenus in prima classe nosologiæ methodicæ, Pyrexia, morbos febriles sic definivit. Post horrorem pulsus frequens, calor major, plures functiones læsæ, viribus præsertim artuum imminutis.

Febrem, etiam primum ordinem istius classis, ita quoque definivit.—Prægressis languore, lassitudine, et aliis debilitatis signis, Pyrexia sine morbo locali primario.

Tria quoque genera febrium continuarum sunt. scilicet, Synocha, Typhus, et Synochus.—Synocha vel Febris inflammatoria auctorum. Calor plurimum auctus, pulsus frequens, validus et durus, urina rubra, sensorii functiones parum turbatæ.—Typhus mitior et gravior, vel febris nervosa et putrida auctorum, eundem esse morbum, in gradu tantum variantem, et Typhus ab eo dicitur, et sic definivit.

Morbus contagiosus; calor parum auctus; sensorii functiones plurimum turbatæ, vires multum imminutæ.—Synochus—Morbus contagiosus; Febris ex Synocha et Typho composita; initio synocha progressu, et versus finem Typhus.

Hæc genera tria hic præponere volui, quia neutrum eorum hanc febrem mihi videbatur distinguere, sed omnia in unum conjuncta, optime eam descripserunt, ut inter ægros sese obtulit. Nam semper fere in eodem ægro, signa synochæ et Typhi convenire viderentur, nempe calor plurimum auctus, summa cum debilitate, pulsus validus, sæpe cum petechiis. Venia quærenda est mihi talia auso. Sed nullum alienum morbum describo, nec ex ullo auctore historiam fingo; tantum illum ut sese mihi obviam tulit, describere conor. Medici nonnulli sibi ipsis causas varias hujus morbi finxerunt, et multi eos secuti sunt; attamen, longe plures omnibus dissentiebant, et nullam theoriam satisfactionem præbere iis, de causa vel natura ejus, dixerunt. Cum igitur hæc pestis nos invasit, nesciens quem ducem sequi oporteret, symptomata ut mihi sese obtulissent oppugnare decrevi. Nec propterea novum aliquod genus curationis, nec sententiam novam assecutus sum, sed mistum aliquid: et ut nonnunquam assentio, quoque doctissimis nonnunquam dissentio. Et veritatis causa veniam precor.

Historia Morbi.—Initium morbi sensu ingrato frigoris, plerumque etiam horrore notatur, hoc ipso

tamen tempore, calor alterius manu major sentiretur, brevi nihilominus æger quoque calorem auctum percipit. Lassitudo porro summa, qualis a fatigatione nimia oriatur, et fermè semper cum dorsi dolore stipata, sæpe cum sensu tantoperè aucto, toto in corpore, ut quasi verberatum aut contusum esset, dolet.

Caput semper multa signa mali exhibet, attamen multum in gradu differunt. Levissimo morbo, calor et dolor mitis tantum ab ægro percipiuntur, aliqua in parte, vel in toto capite. Sed sæpius, dolor atque calor major, cum gravitatis levitatisve sensu comitantur, sæpe cum vertigine, aliquando cum sensu motus natantis in capite, et quasi ebrius esset, ita ut sese erigere non potest, nec stare, neque ambulare queat, sine alicujus auxilio, etiamque hoc fultus, genua tremunt, et artus sub mole corporis flectuntur. Etiam si sedeat, tam debilis cito fit, ut in lecto decumbere cogatur, atque etiam in lecto, omnia circumferri videntur. Magna inquies molestaque jactatio hæc quoque comitantur, ac brevi vix in eodem situ jacere potest. Mens adeo turbatur, ut quicquid facile obliviscitur, et in aliud fertur, et hoc etiam sentiente invitoque ægro. Lucem quinetiam et sonitum abhorret, etiam quum dolor capitis non maximè illum urgeat. Nec somnum capere queat, nonnunquam tamen brevi somniat, at cum horrore somniisque horridis expergiscitur. Sonitus adest sæpe intra caput, præcipuè ad aures, susurro simi-

lis sæpe ventorum, nonnunquam aquarum fluentium, at sæpius pulsui arteriarum capitis pulsanti respondet. Caput etiam sæpe ab initio tantopere dolet, ut quasi fortiter circumligatum esset, ab ægro sentiretur, adeoque coarctatum cerebrum intus, quasi omni pulsu rumperetur. Dolor tunc acutissimus per totum caput lancinat, ægrotusque vix moveri, aut omnino in lecto caput subtollere queat. Nec cum tanto dolore aberratio mentis vel delirium crevit, sed stupor cito advenit, nec dolor amplius sentiatur. Animus tristis ac demissus est, atque suspiriis sæpe agitatur. Vultus mœstus, et aut pallidus aut rubidus est. Supercilia corrugata ac depressa sunt, faciesque sæpe mutatur. Oculi graves atque suffusi sunt, sæpeque subrubent, nonnunquam dolent quum premantur, et frequenter in imis orbitarum dolor fixus est, dolor quoque in temporibus est, at in fronte sæpius, quandoque etiam in parte inferiore occipitis, rarius in vertice persentitur. Interdum dolor nullus in capite sentiretur, et æger se parum invaluisse dicat, solum vertiginem, debilitatem, sitimque adesse, nec ullum cibi desiderium fateatur. Oculi lucidi, alacres, et rapidi sunt. Raptim loquitur voceque acutiori, neque vult se ægrum esse putari. Lingua plerisque albida vel subflava ab initio est, muco tunc etiam sicciore et tenaciore facto, adeoque faucibus hæret, ut vix loqui possit. Sitis fere semper magna, et aquam frigidam maxime bibere cupiunt. Pulsus nonnullis

frequens ac validus, his præcipue fortiori corpore præditis, attamen aliis pluribus, debilis atque rapidus fuit. Omnibus fere primo die, a nonaginta ad centum minuto numeravit. Omnibus cutis ardet, ita ut vix quisquis manum in sinu ægri tolerare possit præ arido acrique calore. Quibusdam tamen sudor nimius defluit, etiam per totum morbi decursum, his nihilominus cutis sudorque semper fervebant. Os semper amarum, aut elutius est, ac plerumque nausea aut vomitus vexavit. Semper quoque ab omni cibo abhorret. Dolor et oppressio scrobiculo cordis sentitur, ac nonnunquam per totum abdomen, præcipue quum manu prematur. Venter semper fere astrictus, et plerumque tensus. Urina pauca, varioque colore, aliquando rubra lateritio sedimento, sæpe subflava cum floccis ejusdem coloris natantibus, nonnunquam etiam fusca. Petechiæ sæpe apparent ante diem quartum, præcipue robustioribus nullo remedio usis: in pectore et abdomine frequentius adfuerunt. Respiratio plerumque acceleratur, nonnunquam etiam cum labore, aliquando etiam dolor in pectore adest, sæpe cum tussi comitatus.

Paucis diebus hæc omnia symptomata quibus incipit morbus, si in pejus ruat, augentur. Dolor in capite major fit, vigiliæ etiam per multos dies adsunt, his tandem mens labitur. Memoria adeo tarda fit, ut æger vix amicos agnoscat, neque sententiam ullam proprio ordine vel loco efferre possit.

Si aliquid ei alloquatur, ægre respondet, et si respondeat, magno cum conatu, forsan nec verba duo sana conjungat. Cum solus sit, mussitat, nonnunquam etiam elata voce exclamat, aliquando canit, interdum luget. Hæc etiam in eodem ægro occurrunt. Paulo post somnus supervenit, si facile expergefieri possit, bonum, sed si non, malum est.

Oculi nunc sæpe sanguinei et pigri sunt, nonnunquam solito acutiores circumspiciunt, quasi ad aliquid quærendum. Si somniet, palpebræ haud prorsus clauduntur, et album oculi aspicitur. Dein humidiores fiunt, et pupillæ latiores immotæque sunt. Lingua gradatim siccior fit, nec saliva in ore nec mucus in naribus secernitur. Mucus qui prius in ore, in labiis, in lingua ac dentibus fuit, nunc in crustam fuscam vel nigram mutatur. Lingua sæpe in medio fissa est, quandoque crustæ de lingua cadunt, sed nihilo humidior fit, sed rubra, dura, adeoque arida, ut vix in ea papillæ videantur. Nec etiam protrudere queat, tremit quinetiam, ac difficile loquitur, vox insuper, quamvis rarissime, penitus suppressa est. Surditas fere semper adfuit. Nullus sensus gustus ægro est, attamen frigida semper quærit. Olfactus quoque perit, et oculis vix cernit apertis. Tactus etiam adeo hebes sit, ut vesicatoria non omnino sentiat. Nullum cibi desiderium redit, nonnunquam tamen lingua humida subflavaque totum per spatium morbi est, præsertim iis qui sudent. Vultus sæpe rubicundus, sæpius tamen

pallidus vacuusque apparet: aliquando etiam rubore vivido facies per multos dies tincta manet. Nausea et vomitus raro per totum morbum vexabant. Singultus quoque, vix ullo medicabilis remedio sæpe supervenit. Nunc, si manum ad aliquem protendere rogetur, tremet, citoque in lectum cadit, nec tollere potest. Tendines, præcipue ad carpum subsultant. Stragula manu carpit, colligitque, circumspicit quoque, quasi aliquid insolitum videat. Nec diu sitis sentitur, nec devorare potest.

Cutis semper calidior ac aridior fit—debilitas major ingruit—laboriose respirat. Pulsus nunc debiliores multoque rapidiores fiunt; adhuc plerumque tamen æquales et tempore et vi, quamvis a centum ad centum et triginta, vel etiam quadraginta pulsus, in sexagisima horæ parte, numerare queas. Pulsus tandem variat, nonnunquam pulsus pauci festinant, dein nonnulli debiles tarde sequuntur. Nunc etiam unus omnino quiescit, dein pauci pleniores evadunt. Alvus quæ semper astricta, nunc tumet, nec etiam ulla medicamentorum vi fluet: tandem tamen fluxus tenuis ac fuscus ægro insciente defluit, nec propterea venter detumescit: urina quoque similiter expellitur. Nonnunquam etiam motum quendam regularem atque continuum, femora genuaque flectere atque laxare, per nonnullas horas ante mortem vidi. Æger nunc sine ulla movendi vi est, jacet supinus, et deorsum ad pedes delabitur. Respiratio tarda pervenit, maximeque difficilis. Pectus

atque abdomen, humerique vicissim tolluntur, ac deprimuntur, omnis musculus respirationis agere videtur. Alæ quoque nasi attrahuntur, iterumque valde hiant. Aer emissus e pulmonibus frigidus est. Mucus in arteria aspera colligitur, atque a magna vi aeris ineuntis ac redeuntis, sursum atque deorsum, stridulo et rauco quodam sono movetur.

Totum corpus tandem dissolvi incipit. Cutis humectata est sudore frigido et oleoso. Pallida facies est, et nonnihil, præcipue sub oculis, tumet. Sudor rori similis fronti hæret. Guttæ paucæ limpidæ e naribus stillant. Oculi suffusi ac nebulosi sunt stillatione eadem, pauloque sursum fixi vertuntur. Palpebræ semiclausæ immotæque manent. Odor cadaverosus e corpore manat. Maxilla inferior dependet. Labia cærula sunt. Pedes manusque frigidæ atque albidæ fiunt. Mors brevi aderit, fere ab undecima ad decimam quartam diem.

Morbus maxime vi differebat; nonnullis die tertia lethalis; aliis tamen non antequam decimam quartam. His, die primo dolor in capite immanis, aut summa confusio, dein quasi apoplectici facti sunt: motus omnis voluntarius cessabat, et stertor respiratioque laboriosa superveniunt. His quoque apoplecticis signis laborantibus, sanguis ex arteria temporali purpureus, et quasi venosus apparuit. Hic status morbi tam maxime lethalis, hominibus senescentibus, obesis, lauteque viventibus, præcipue

fuit, vel etiam juvenibus prævalidis, eodem habitu corporis victusque fruentibus. Pauperes tamen atque tenues, quamvis omni solamine auxilioque egentes, et præeunte fere fame consumpti, quanquam febri proniores viderentur, tamen semper morbum mitiorem passi sunt. Horum multos, etiam sub dio, vel in casis miserrimis, ligno et cespite celerrime extructis, et undique apertis, febricitare vidi, nec unum ex his emori novi. Omnibus his tamen caput dolebat, cutis ardebat, lingua sicca ac nigra, pulsus celerior, exilis, alvusque astricta fuit. Sæpe quinetiam delirium affuit. Hæc omnia signa attamen, medicamentis postea dicendis facile cesserunt.

Paucis qui sine ulla ope jacebant, integumenta circa nates, aut super trochantera magnum femoris, vel in occipite, emortua sunt: et nonnullis digiti pedum sphacelo correpti, deciderunt. Pauci quoque amentiam passi sunt, una alterave hebdomada, post febris decessum. Plurimis quoque convalescentibus, scabies (chachectica secundum Batemanni Synopsin) purulenta adfuit. Mulieres in utero gestantes sæpe abortum passæ sunt, magna cum hæmorrhagia, omnes tamen quas vidi, convaluerunt. His quoque, quæ infantes lactabant, febrientibus, lac suppressum fuit, et morbo abeunte redivit. Ulcera quoque omnia, etiam syphilitica exsiccabantur.

PROGNOSIS.

Prognosis certe hoc in morbo difficilis fuit: nam sæpe morbo (initiò) miti, signa cerebri oppressi in decursu adfuerunt. Verum ex statu priore corporis, atque vi morbi, multis conjunctis symptomatibus, an exitus felix, an infelix fuerit, judicare possumus. Hæc fausta præbere fere solent. Si integra antea valetudine fuit, et tenui corpore. Si medicamenta prima gravioraque symptomata cito sublevant. Si nausea vomitusque, emetico prorsus tolluntur. Si nec caput, nec abdomen maxime doleant. Si somnus naturalis adsit, nec nimis gravis, nec turbatus. Si nulla vertigo, nec confusio mentis adsit. Si secunda hebdomada, lingua quæ prius arida nigraque fuit, nunc marginibus humescere cœperit. Si dormiat multum, ac refectus expergefaciat. Si sudor mitis per totum corpus diffusus ultro erumpat. Si alvus sua sponte dejiciat, urinaque turbida effluat. Si delirium non superveniat, nisi post diem septimum, neque tunc etiam perpetuum, sed leve, facileque amotum. Surditatem faustum indicium præstare medici existimaverunt; equidem nullum signum magis constans ægris, vixque unquam morituro fuit. Si pulsus modicus sit, nec ultra centum et viginti, vel si plenior ac tardior, ex rapido evadat, qualis nempe ex gradibus centum et quadraginta, ad centum et viginti, sine motu inæquali, namque ante

mortem tardior devenit, at eodem tempore, et inæqualis et remittens est. Si vinum aut tonica, pulsum rapidum, et exilem, jam finituro morbo, tardiorem vel fortiorem reddant. Hoc quoque notandum, quomodo primo morbi stadio æger tractatus est, quandoquidem tunc temporis, medicamenta bene adhibita, febrim minus vehementem reddant: sive autem contra, multa signa pejora fiant, morbusque sæpe, etiam summa cum cura ingravescat.

Hæc infausta sunt signa. Si æger pleno fuerit corpore et obeso, magno capite, cerviceque brevi, et facie tumida, aut rubore aut pallore. Si lautissime vixerit, vel si multum spiritus ardentis vinive bibisset. Si fatigationem multam nuperrime passus sit, vel si corpus ulla immodica intemperantia sit fractum. Si carotides aut temporalis vehementer pulsant. Si tinnitus aurium magnopere adsit. Si aliquo morbo chronico, præcipue capitis vel stomachi, antea oppressus fuerit, qualis dolore in capite, vel vomitu, vel ullo morbo chronico viscerum abdominalium. Si arteriarum pulsus parvus, compressione facile impeditus. Si caput adeo doleat, ut, corpore erecto, syncope adsit. Si vomitus pertinaciter vexaverit. Si vox tremula, vi non solum mutata, verum etiam sono. Si æger resupinus, propter debilitatem musculorum alterturi laterum sese admovere non possit. Si e lecto delaberetur. Si extrema algescant, propter vim sanguinis immi-

nutam—si sudores frigidi aut glutinosi adsint, corpore toto laxato—si vultus pallescat, aut collapsus sit—si oculi splendore orbati—si vires quibusdam retinæ partibus perditæ sint, adeo ut muscæ volitantes, maculæve nigræ in pariete viderentur—si sorbendi facultas, vel partim, vel penitus deficiat—si delirium vel ferox vel mite, præsertim si cito invaserit, diuve manserit—si caput adeo oppressum sit, ut dolorem non sentiat, obrutus tamen stupore jacet*—si arteriæ tarde inæqualiterque micant—si subsultus tendinum, tremores, convulsiones, aut sermonis hæsitatio adsint—si fæces urinaque ægro invito, ejiciantur.

DE CAUSIS.

Prædisponentes.—Ea omnia quæ corpus debilitant, laxantque complectuntur: sive in systema nervosum aut sanguineum agant, ceu illius irritabilitatem nimis excitando, sive hujus vim nimis minuendo. Inter hæc, diæta tenuis et parca, et depravata, maxime valere habita est. Huic quoque adjunguntur, tempestas humida ac frigida, necnon cœli intemperies, omnes quoque motus qui animum deprimunt. Veluti mœror, timor, vigilia, labor gravis atque per-

---

* Hoc quoque signum in typho (icterode) notatur.—*Bancroft's Essays, p.* 11.

petuus. Studium severum et nimis productum. Vires ex morbis prægressis exhaustæ, vel ex medicamentis, veluti post salivationem. Hæc omnia merito prædisponentia medicis habentur, et in febre de qua nunc tractatur, multa ex his conveniebant. Qualia intemperies cœli, tempestas maxime humida, victus adeo parcus pravusque, ut fames ipsa adfuerit. Hinc mœstitia et omnia ad animum depremendum idonea. Sed de his breviter dicam. Annis 1816 et 1817, per multos menses, tanta vis aquæ de cœlo missa fuit, ut nec messis maturare queat, nec etiam si maturasset, agricolæ propter imbres continuos, in acervos colligere potuissent. Idcirco magna pars sub dio peribat, et quæcunque ex pluviis in acervos horreave fuit arrepta, omni fere succo carebat. Nam diuturnus impetus aquarum, non solum sata stravit, verum etiam fæculam omnem elavit. Exinde evenit, ut farina, propter majorem quantitatem glutinis fermento subigi non posset, et in massam tenacem in furno coiret, potius quam in panem. De optimo genere panis triticei loquor, et ex eo, depravatio omnis generis frumentorum discatur.

> Hæc igitur subito clades nova, pestilitasque
> Aut in aquas cadit aut fruges persidit in ipsas.—*Luc. lib.* 6.

Aliud malum his quoque additum fuit, nempe inopia ignis. Nullos fomites ignis pauperes servare potuerunt. Nam omnes paludes ex quibus eos olim

parassent, aut aquis submersæ, aut si loco elatiores fuere, pluvia perpetua, cespites ex illis secatos semper madidos, et nullo modo incendio aptos retinebant. Populo quoque misero neque ullum in agris pensum fuit, nam foris semper frigidus humor, nec domi focus ullus fovebat, sed frigor, fames, mœstitia, inertiaque eos opprimebant. Tali tempore, tantisque initiis, Typhus invasit, corpora his omnibus malis fracta, cito in morbum incidunt, semperque debiliores afficiendo, morbus primus, invasit, ut Celsus quoque dixit. "Cum omnibus morbis obnoxia maxime infirmitas sit." Lib. 1. cap. 3. Sed utrum morbus ex his causis solis ortus sit, an ex aliquo abdito fomite, quem agere fecerunt, et qui sine illis iners latuisset, inquirere fortasse oportet; sed hujus dissertatiunculæ limites, viresque meæ, ut talia ne aggrediar, commonent. Sed ut pauci de contagiosa natura Typhi nunc dubitant, et, ut difficillimum esset unam alteramve sententiam affirmare, hic tantum adjiciam.

1mo, Contagium specificum extitisse, ex hoc probatur, quia medici, clerici, aliique multi, tamenetsi nullo modo causis prædisponentibus affecti videbantur, contagio nihilominus admoto, febricitaverunt.

2do, Morbum quoque oriri posse, ex fame, immunditiis, &c. videtur, quia morbus primum semper inter pauperes ortus sit, et in tam multis locis, eodem tempore, ut nulla causa tam late diffusa, præter eas, percipi possit.

3tio, Ex aere quoque oriri videretur, nam multis, ex causis quæ alio tempore catarrhum, pneumoniamve induxissent, sine ullo contagio, quantum ægri agnoscere possent, nunc primo vel secundo die, quo horum morborum signa adfuerunt, caput quoque correptum fuit, Typhumque passi sunt. Propter hæc, febris et contagiosa et epidemica jure nominetur. Eodem quoque tempore, variolæ epidemicæ fuerunt, maximeque sæviebant.

DE NATURA CONTAGII.

Quanquam natura contagii Typhi, æque ac morborum exanthematicorum, penitus ignota sit; tamen omnibus bene notum est, quod ex corpore ægro effluit, et quoque omnibus fere rebus adhærescere potest: præcipue gossipinis, laneis, pellibus, et quoque etiam parietibus, supellectilibusque. Etsi in cubiculis clausis partem omnem impleat, et quoque quasi coacervari condensarique videatur; attamen æque notum est, quod in cubiculis bene ventilatis, ac puris, vix ullum contagium adsit, et quod si ullum, non ultra pedem unum alterumve ex ægro diffluat antequam solvatur, et fere innoxium reddatur.*

---

* In the open air, and in moderate cases, I discovered that the infectious distance does not exceed half a yard.—*Dr. Haygarth's Letter to Dr. Percival on the Prevention of Infectious Fevers.*

Sed in vestibus gossipinis laneisque, contagium diu latere potest, etiamque longo post tempore, aliquos afficere valet. Hi quoque qui cum ægris, in cubiculis continuo manent, in vestibus, sæpe contagium auferunt, et alios afficiunt, quamvis ipsi nihil ex eo patiuntur.

DE MODO QUO CONTAGIUM SUSCIPITUR.

De organis quæ contagium primario afficit, et de mutationibus quas efficit, auctores multum discrepant. Nonnulli sentiunt, pulmones materiam contagiosam absorbere ; alii, cutem ; alii denique, cerebrum primum per nervos extremos affici. Quidam autem ratiocinantur, quod si cutem pulmonesve primum contagium aggrederetur, harum partium functiones tum primario læderentur, quod nunquam accidit, dicunt. At hi obliviscuntur, quod multa per cutem pulmonesque hausta, vim nullam aut in cutem, veluti hydrargyrus ; aut in pulmones, veluti oxydum nitrosum, exercent; quanquam ille glandulas salivales maxime afficiat, et hoc cerebrum quasi ebrietate excitet. Pari ratione, quoque contagium typhi, vel ullius morbi, cerebrum inficiat, sine ulla vi exercenda in pulmone, vel in cute. Sed tamen nec necessarium est quod putaremur, tam subtile contagium uni parti corporis solum applicetur. Nam materia contagiosa per omnia diffusa, cum aere in

pulmones inspiretur, ex aere vel humiditate quoque per cutem absorbeatur, vel per nervos sentiatur, atque e cibo vel saliva in ventriculo agat; in omnes has partes etiam simul agat. Sed quocunque modo corpus intret, semper cerebrum primum afficere videtur, et ex hujus functionibus læ sis, omnia symptomata in alias partes affluere. Nam febris signa omnia variabat, pıæter hæc quæ cerebrum afficiebant, partesque vel functiones quæ præcipue ex eo pendebant. Semper ei adfuit dolor; vel si nullum dolorem agnosceret æger, vertigo, aut confusio, hebetudoque quædam mentis, motus voluntarii maxime affecti, calor auctus, secretionesque imminutæ, partem primario turbatam, lucide indicabant.

Et quomodo contagium has operare mutationes possumus assequi? Si aeres quidam sanguinem in pulmonibus facultate induunt, cerebrum ita afficiendi, ut ejus officiis rite fungatur—et si alii aeres atque miasmata ita illud afficiunt, ut functiones ejus turbarentur etiamque extinguantur—suspicari possumus contagium aeri vim aliquam impertire, sanguinem in pulmonibus ita afficere, aut etiam nervos, (sed sanguinem suspicor) ut functiones cerebri ita turbarentur, cerebrumque ita afficeretur, aut ex turbatis vel impeditis officiis, vel ex aliquo quoque alieno in sanguine, quod inflammatio, vel certe comes inflammationis (nomen* febri datum) oriatur.

* Boerhaave in Aphorism, 588.

Omnibus partibus inflammatis, dolor, calor, functionesque læsæ cum rubore ac tumore, adsunt. Hæc omnia quæ percipere possumus, in cerebro sunt. Nec certe dubitaremus, si in alia parte, eadem signa quæ in hac febre, simul cum læsione partis istius adsint, inflammationem esse dicere. Si cerebrum etiam externa ulla vi læderetur, adeo ut inflammatio facta sit, eadem signa quæ in hac febre existunt. Et in aliis morbis, scilicet hydrocephalo acuto, et phrenitide, inflammatoriis omnibus nunc dictis, signa simillima sunt, et quoque quæ post mortem in cerebro inveniuntur. Celeberrimus Abernethy* scribit de homine, qui, propter vulnus magnum cervicis, quo arteria carotis interna et pharynx partesque pone tracheam maxime lacerata fuere, mortuus est. Multa vis sanguinis effluxit, tamen signis concussionis cerebri correptus, cito periit. In sectione cerebri, inflammationis signa aderant, et sic de eo dicit. "Miasmata which impair and disturb the energies of the brain, occasion fever and inflammation of that organ, so that there appears to me nothing wonderful in the inflammation which occurred in the present instance."

Hic prorsus inutile esset, signa quæ inflammationem cerebri ex injuriis externis denotant, rescribere,

---

* Page 128, on injuries of the head.

quoniam in omni libro* chirurgico ubique occurrunt, et signa conferantur. Et plane percipietur, quod signa nec magis differunt inter ægrum inflammatione cerebri ex vi externa laborantem, et alterum typho, quam inter duos typho affectos. Eadem sunt dicenda de hydrocephalo acuto, ac phrenitide. Quæ in sectione mortuorum de his morbis visa sunt, facile quoque reperientur. Et quæ in dissectione typho mortuorum apparent, ex anatomia morbida typhi a Doctore Millio scripta, hic subjungam.†

Omnibus fere facies una, vasa sanguine distenta per totum cerebrum, cerebellum et meningas diffusa. Serum quoque in ventriculis cerebri, inter meningas, etiamque in theca spinali effusum. Laminæ quoque lymphæ coagulatæ in convolutiones cerebri, et inter membranas deposita fuere. Hepar quoque sæpe, una cum stomacho, intestinis, pulmonibusque inflammatum fuit; sua tamen cuique signa, sæpeque nullum signum mali, nisi quod in cerebro fuit.

Remedia insuper quæ medici in phrenitide et in hydrocephalo acuto, et chirurgi ad inflammationem ab externa vi tollendam; nempe, emissio sanguinis,

---

* Perlegere possis, case 7th of Pott on Injuries of the Head. Le Dran observations chirurgicales. obs. 25. Abernethy on injuries of the head, &c. &c.

† Morbid Anatomy of the Brain in Typhus. Doctor Mills. Dublin and London 1818.

purgantia, antimonialia, frigus, quies, tenebræ, &c. in hac febre, maximo quoque cum fructu, utebantur. Propter hæc omnia, mihi visum est, typhum vel febrem pestilentem, inflammationem esse partium vel partis alicujus intra cranium. Nec symptomata quæ putredinem ostendere opinantur, nempe, lingua nigra, sordes in dentibus nigræ, petechiæ, fæces nigræ, aut debilitas, hac in febre putrescentiam non indicabant. Nam lingua fit nigra, per exsiccationem solam muci, et semper fere stomacho laborante, quando sitis urgeat, etiamque mane post ebrietatem, vel ab alvo astricta, &c. his quoque ex causis, sordes in dentibus accrescunt, multisque in morbis, sine putredine apparent.

Petechiæ quoque occurrunt, ubi nulla febris vel putredo adsit, etiamque hæmorrhagia comitata, ut in Purpura Doctoris Batemani de morbis cutaneis. Hac in febre quoque, tam cito sæpe apparebant, ac præcipue in corporibus validioribus, ut vix putredine oriri arbitrari possint. Quinetiam, semper fere post mortem evanescere solebant, quod non accidisset, si a putredine ortæ fuissent. Fæces nigræ quoque putredinem non ostendunt, sed bilem pravam, vel etiam sanguinem ex tunicis stomachi aut intestinorum, secretionemve aliquam intestinalem depravatam. Hæ fæces nigræ, piceæ, fœtidæque, morbis quoque non putridis adsunt*. Sed fæces

* Abernethy on local diseases, page 1 and 30. Cullen on hæmetemesis et melæna.

nigriores vel fœtidiores vel etiam putridiores solito, in sanguine putredinem non ostendunt. Sed mutationem tantum aliquam ab excretionibus non sanis in intestinis orientem, et quæ non antisepticis, sed catharticis curatur.

Debilitas quoque, quoniam omnis motus voluntarius a cerebro pendet, etiam cerebrum oppressum indicat, non verum a putredine, sed a nimio sanguine vel effusione. His quoque addatur, quod fermentatio nulla in corpore vivo accidere possit, nec putrefactio potest. Putrefactio solum post mortem accidit. Neque signum ullum putrefactionis in partibus externis maxime inflammatis apparet, donec actio immodica vasorum, vitam partis cum ipsorum vita, extinguit. Tunc sphacelus vel putrefactio cito sequitur. Nec etiam in parte, cujus destructio mortem brevi allatura, ullum signum typhi conspicitur, verum maxime contrarium: Nam illa vera putredo, celerrime exanimat, sine petechiis, vel lingua vel fæce nigra, (nisi in intestinis sphacelus evenit,) sed debilitas maxima, cum membris frigidis, palore vel livore faciei, adest; intellectus tamen sanus usque ad mortem evadit. In typho contra, vita per multos dies pergit. Sæpissime æger, post hanc speciem putredinis convalescit, quod nunquam futurum, si vera putrefactio in sanguine adesset. Hæc opinio de putredine percrebuisse videtur, ex suppositione, quod contagium putridum quiddam effluvium animale fuisse. Quod effluvia animalia, quodam modo

depravata, febres typhodes gignunt, certum videtur. Sed aliquid putridum contagio inesse, non probatur. Nam imprimis, qui inter putredines animales veras vitam semper degunt, anatomici scilicet, nullo modo ad typhum suscipiendum proniores sunt, omnes scimus; nec candelarum saponisve factores, nec cloacarum purgatores, nec tumulorum fossores.* Hac de re, addam quoque ex Orræo de descriptione pestis Moschæ anno 1772. Peste abeunte, "Cadavera clanculum inhumata aliterve occultata "reperiri, et quæ in locis spatiosis non sat pro-"funde inhumata fuerunt, eorum sepulchra terra "multa contegere. Cætera vero nuda reperta in "cæmeteria transportare. Hac ratione mille cada-"vera in habitationibus ipsis reperta fuerunt. No-"tabile omnino fuit, *neminem* ex vespillonibus, vel "aliis in negotio hoc periculoso versantibus infec-"tum, nedum morbo aliquo correptum fuisse, "quamvis tanta ab omni infectione incolumitas "vix ac ne vix quidem sperari posse videbatur." Ex his credo videbitur, quod contagium non ex animali putredine proveniat, nec ergo necesse sit, morbum putridum geniturum.

Omnia vero signa in typho revera ex inflammatione cerebri oriri videntur. Nec ex ullius partis

---

* Bancroft's Essays, Appendix No. 2, page 110 and 634.—Diemerbroeck tractatus de peste, lib. 1, cap. 8, page 41.

partiumve turbatione, præter illud, ratio symptomatum reddi possit. Horrores atque rigores omnem præeunt inflammationem, suppurationemque quoque indicant; neque tantum ex cerebro solo quantum ex mutatione quadam in corpore oritura adsunt. Sed capitis dolor primo mitis, ac levitas vel gravitas, pulsatio temporum, atque in auribus, oculi graves, rubri, facies quoque rubra, anxia, vel pallida; frons ac supercilia corrugata, caput quoque totum calidum; omnia vim majorem sanguinis in cerebrum affluentem denotant. Hic influxus major sanguinis in cerebrum omnibus admissus: utque in aliis partibus quoque in cerebro, ex hujus duratione inflammatio fit. Omnes sensus ex hoc brevi tempore acutiores fiunt, ac præterea, vis motus voluntarii augetur: dein, ex nimia excitatione vel oppressione, sensus hebetudo, debilitasque musculorum sequuntur. Stomachus laborat, debilitatur, gravatur atque dolet, nausea aliquandoque vomitus adsunt. Sed nonnunquam stomachus nullam turbationem præter anorexiam passus est. Hæc stomachi conturbatio ex cerebro oriri videtur: nam in injuriis cerebri ex vi externa, nausea vomitusque sæpissime malum cerebri indicant, quod prius chirurgum latuit. Hepatis quoque suppurationem inflammatio cerebri induxit. Pars quoque encephali affecta, qualis medulla oblongata, quoniam ex hac Par Vagum oritur, multum conferat, num stomachus etiamque cor maxime afficirentur an non. Omnes

fere secretiones aut penitus cessant, aut parciores pravioresve evadunt; quæ quoque ex turbato cerebro pendere videntur. Nam omnes secretiones ex vi nervosa regi, minime dubium est. Calor quoque major ab cerebro inflammato accendere videtur. Nam ex experimentis D. Brodie* constat, ut quamvis mutationes chemicæ sanguini in pulmonibus eveniant, et cor per horas nonnullas agat, in animali capite abscisso, pulmonibusque artificiose inflatis, tamen nec calor gignatur, nec secretiones fiant. Ex hoc primo probatur, calorem non ex mutatione illa chemica sanguinis in pulmonibus, nempe, carbone amisso et oxygenio hausto, oriri. Et insuper, ut sine cerebro, calor non nascitur. Febris quoque ostendit, cerebro inflammato, calorem totius corporis maxime augeri, etiam ad 106° vel plures gradus thermometri Fahrenhetiani.

RATIO MEDENDI.

Febris semper ex causis variis, quibus eam oriri medici putaverunt, rationem medendi deduxerunt. Et non mirum videbitur, quoniam causam tam diversam sibi quisque construxerit, ut medicamenta quoque varia ac inter se oppugnantia, hujus morbi

* Philosophical Transactions, 1812.—Brande's Manual of Chemistry, p. 468.

curationi accommodarentur. Quisque fere oblivisci visus fuit remedia, quæ signa naturaque morbi indicarent, ut ea theoriæ suæ congruentia coaptaret. Omnes fere putantes, aliquid malum, aut peccans, aut a morbo genitum, aut quod genuit morbum, corpori inesse; obliti ergo caloris dolorisque, calidissima quæque ægro miserrimo, et data et circumvoluta, ut concoquerent, atque per sudorem elicerent *hoc* tam maxime timendum. Nec frigidus aer, ne sudorem vetaret, nec potus frigidus, ne concoctionem impediret, permitterentur. Alii opinabantur, vim aliquam debilitantem vel putrefacientem morbi causam esse, tunc, dolore, calore, lingua nigra, alvoque astricta omissis, vinum, cinchonam, stimulantia, totumque genus antisepticum præscripserunt, nec venam incidere, nec alvum ducere, nisi per lenia clysmata, præ timore debilitatis vel putredinis, sinerent. Nec plura referam, quomodo alkalina, etiamque ammonia data fuere, propter causam acidam, ac acida, propter causam alkalinam. Sed ad hos revertam, qui, natura duce, ubi calor fuit, per frigida extingui, ubi dolor atque plethora capitis, per venæ sectionem, et ubi astrictio ventris, per cathartica curari, consuluerunt. Et hic quoque maximus Hippocrates viam ducit; frigida in typho jubet, præcipue parte qua æger calorem maxime sentiat; monet quinetiam, si corpus horrorem habet, frigida remittere. At verba sua scribam. *Καὶ ὁκοτε το καυμα ἐχῃ, ϱακεα βαπτων ὑδατι ψυχϱῳ πϱοστιθεναι ἡ ἀν μαλιστα*

φη καιεσθαι. Ην δε φρικην ἐχῃ το σωμα, ἀνιεναι τα ψυγματα·* Celsus quoque dicit.† "Possunt etiam super stomachum imponi folia vitis, in aqua frigida "tincta." De potione aquæ frigidæ multum dicit, sed legibus quibusdam concoctionis detentus, non præstaret bibendam usque ad quartum diem; additque insuper. "Sed ipsa aqua frigida tantum ad "satietatem data, pro medicamento utatur."

Natura quoque barbaris gentibus hoc remedium docuit. Americus Vespucci de Indis Americanis scribit. "Cum eorum quempiam febricitare contigit "hora qua febris eum asperius inquietat, ipsum in frigentissimam aquam immergunt et balneant, postmodumque per duas horas circa ignem validum, "donec plurimum calescat, currere et recurrere "cogunt, et postremo ad dormiendum deferunt, "quo quidem medicamento complures eorum sanitati restitui vidimus." Alterum quoque testimonium de curatione febris inter barbaros subjiciam. "L'habitude des negres qui veulent guerir des "fievres est de se jeter dans l'eau la plus froide, de "s'y baigner, et de se mettre sur *la tete* des herbes "fraiches qu'ils arrachent au fond des ravines ou "des rivieres. J'en ai vu l'essai sur des blancs, qui "convenaient que cela leur otait l'ardeur de la

* Hippocratis opera περι των ἐντος παθων. pag. 114. Ed Fæsii Francofurti.

† Celsus lib. 3. cap. 7. quomodo pestilentes febres curari debent. Pag. 34. Ed. Aldi.

"fievre, que le mal de tete cessait presque aussi tot "et qu'ils se sentoient soulages. Plusieurs m'ont "meme dit en avoir ete gueris. J'ai eprouve ce "remede sur moi meme. Mais pourquoi douterait "on de son efficacite? qu' on se rapelle ce que rap-"porte chardin, de la maniere dont la fievre se gu-"erit en quelques lieux de l'orient, ou l'on ne con-"nait d'autre cure, que de se faire *jeter* sur le corps "*des seaux* de l'eau la plus fraiche."*

Ex his clare apparebit, quod Hippocrates et Celsus aquam frigidam febricitantibus præbuerunt, etiamque Americani balneis frigidis, atque Indi Orientales affusione frigida usi fuerint, attamen inter excultissimas gentes, hoc remedium tam gratum et tam efficax, atque alia refrigerantia annis solum recentioribus recepta sunt. Celeberrimus Doctor Currie, scriptis suis, multum eorum usui contribuit. Ex sententia de natura febris quæ mihi fuit in animo, atque ex summo commodo quæ remedia refrigerantia evacuantiaque febrientibus contulerunt, ego quoque eis usus sum. Qua igitur de causa tali modo curationis, meum testimonium, quamvis vile, hoc in loco subjicere volui.

De medendi ratione, quæ mecum maxime profuit, et de modo operandi, pauca insuper adjungam.

---

* Memoir sur les maladies les plus communes, &c. a St Domingue leur remedes, &c. par M. Bourgeois dans un collection des voyages interessans, &c. a Paris, 1788.

Primo incursu, morbum penitus præcidere conari debemus, aut si frustra hoc efficere tentaremus, dein signa graviora occurrere. Spatium temporis brevissimum est, quo febrem sistere possumus. Vix post secundum diem, rarissime post tertium.—De modis quibus febris statim ab initio penitus sistatur.

1mo, Per affusionem frigidam vel tepidam.

2do, Per emetica, sudorifica, atque Purgantia.

3tio, Per sanguinis emissionem.

Hæc omnia, simili ratione, in hoc morbo agere videntur, nempe, novam actionem aut in cute, aut in stomacho, intestinisve ciendo, eoque modo, sanguinem in has partes eliciendo, cerebrum evacuant, et circulationem æqualiter in corpore distribuunt. Nam ut initio morbi impetus sanguinis in cerebrum tantum incipit, nec penitus sanguinis influxus vasa distentat, ideo quoque nec consuetudo talis, neque habitus in corpore formatur. Itaque, quæcunque subito sanguinem ex cerebro revocare possint, in alias partes corporis, plures vel ingentes actiones excitando, cerebrum nimis prius impletum evacuando, causæ morbi proximæ, vel potius morbo ipsi, occurrere videntur. Sed quando vasa diu distenta, aut habitus formatur, remedia quæ has in aliis partibus actiones incitant, signa tantum sublevant, atque, ut morbum penitus adimant, sæpius repeti necesse est. His prædictis, conferre possumus, si remedia supradicta indicationem hanc impleant.

1mo, Per affusionem frigidam aut tepidam. Affusio frigida rite adhibita talem impetum in cutem impingit, ut statim omnia vasa capillaria sanguine implentur. Sudor erumpit, dolor capitis, sitisque

restinguuntur. Ardor iste urens cessat, calor gratus oritur, et morbus solvitur. Et si hæc non edat signa paululum commodi tantum præbit. Hæc videtur ergo ratio qua affusio frigida in hoc morbo agit, primus impetus calorem subtrahit, et sensibilitatem vasorum minimorum cutis ita excitat, ut majorem vim sanguinis reciperent, sanguine his ita recepto, vasa omnia interna inaniuntur. Vasa quoque cerebri, sanguine nimio amoto, contrahunt, et molem functionesque suas simul resumunt. Sudor quoque qui antea suppressus fuit, cum cæteris secretionibus rursus perspirat. Saliva refluit, et propterea sitis sedatur. Dolor capitis, propter evacuationem vasorum tollitur, secretionesque restauratæ refluxum sanguinis in cerebrum impediunt. Nonnulli putant, affusionem frigidam, propter calorem abstractum, alii, propter impetum, solum prodesse. Sed non propter calorem abstractum, neque propter impetum valet. Nam calor semper extinguitur, impetusque quoque semper accidit, at valetudo non revenit, nisi repletio illa vasorum cutaneorum, simul cum secretionibus revertat. Hæc ergo evacuatio vasorum cerebri, in illa cutis, &c. vera est causa. Affusio tepida quoque, cum simili effecto, quamvis diverso modo, hoc officio fungitur. Sanguinis emissio, emetica, sudorifica, atque cathartica, hæc eadem præstant.

Emissio sanguinis subito sanguinem e corpore extrahendo, vim totam circulationis mutat, quæ prius in cerebrum impulsa fuit, et ubicunque exitus sanguini præbetur ibi vis sanguinis sequetur; cerebrum evacuatur, functionesque exercere incipit,

scilicet, vim solitam nerveam secretionibus dando. Statim ergo, erumpit sudor, medicamenta quæ prius in partes fere sinivitales (vi nervea pravata) agere nequibant nunc extemplo vires proprias emittunt, vomitumque cient, alvum ducunt, calor ardens quoque tollitur, prostratæque vires corporis resiliunt, mens quoque quasi e nubilis purgatur. Si syncope adsit, circulatio postea æquabilius renovatur, omniaque signa etiam faustiora sunt. Sed hic status propitius non servatur nisi hæ partes eorum officiis præstant. Ergo ad ea restauranda vomere necesse erit, alvum purgare, sudoremque etiam ciere. Agat utroque eorum in aliquam partem, scilicet, in ventriculum atque intestina, vomendo et purgando, atque in cutem perspirando. Hæ actiones non absolvuntur, neque ulla actio secernendi vel excernendi, sine influxu novo sanguinis; quocirca hæ omnes partes, nervea vi quoque peragente, quasi occupant sanguinem secretionesque effundant. Et si sit in cerebro quoque ut in aliis inflammationibus incipientibus, nihil nisi major vis sanguinis, sinc ulla adhuc mutatione structuræ. Hæc supradicta remedia ad partem evacuandam præstant, ac proinde ad morbum tollendum. Sed ut etiam brevis vasorum sanguinis repletio ad habitum atque structuram partium mutandum, tendit. Sic propterea evacuationes longius duci oportebit, ut mutatio facta infecta reddatur. Hac igitur de causa, post primum, secundum, tertiumve diem, mutatione structuræ habitusque facta, morbus tantum sublevatur et tardius tollitur.

His quoque rationibus facile intelligetur, quare

affusio frigida vel tepida, magis quam alia remedia, ad morbum tollendum prosunt. Hæ perraro ad functionem cutis restaurandum desunt; et si cutis his primis diebus, officiis fungi cogitur, morbus rarissime firmatur. Nam cutis, ut majorem superficiem quam ulla alia pars corporis præbet, sic quoque sudor quem exhalat, multo magis abundat aliis secretionibus vel exhalationibus,* ac proinde magis caput ac corpus evacuatur, quam aliis viis.

Modus etiam quo emetica profuisse videntur, hac ratione solvatur. Primo, actionem stomachi ad vomendum excitando, secretiones stomachi hepatisque eliciunt, et sæpe quoque intestinorum, quæ proximæ illis cutis scatent; his porro, quod semper præcipuum est, sudor effluit; quocirca, emetica fere ab omnibus primum locum ad febres sistendas attigerunt. Nonnulli dixerunt, quod, per acria ex ventriculo ejicienda aut bilem, solum profuissent. Non revera nego, quin etiam hæc evomendo, multum proficiunt. Sed sæpe prodesse visa sunt, ubi nulla bilis, nec quid acre ejectum sit. Ergo mihi videntur, renovando vim propriam secernendi atque exhalandi, partibus supradictis præcipue prodesse.

De his quæ in universam cutem præcipue agunt dixi; vel saltem si medicamenta sudorifica non notavi, ex actione earum rerum quæ sudorem eliciunt, et ex horum effectu in corpore, usus illorum jamjam cernitur,

---

* Vide Institutiones Boerhavii de functione cutis et perspiratione Sanctoriana.

De Purgantibus.—Rarius per seipsa morbum tollunt, sed intestina excitando, atque secretiones eorum eliciendo, atque evacuando, curationem maxime adjuvant; et quanquam cathartica sola rarissime morbum tollunt, vix unquam tamen sine illis cito ademitur. Quocirca mihi videtur, ut ni omnes secretiones redintegrarentur, morbum non esse finitum. Omnibus igitur febrientibus quos initio morbi vidi, si capitis dolor gravior sit, venam statim incidi, et sanguinem usque ad syncopen, vel ad dolorem capitis penitus tollendum, pleno rivo detraxi. Sed si debiliores fuerint, nec caput tantopere doleat, venam non incidi. Dein antimonio tartarizato, multa aqua soluto sæpeque sumpto, vomere, atque postea, vomitu nempe finito, cum hydrargyri submuriate et jalapæ pulvere, vel sodæ vel magnesiæ sulphate, alvum sæpe moveri feci. Hæc omnia in lecto facta fuere, sudorque sæpissime excitaretur. Post sanguinis detractionem, plerumque dolor capitis atque calor penitus tollebantur, at si redirent, statim affusione frigida usus sum. Si ægrotantes hoc remedium toto in corpore non ferant, tunc in caput solum aquam gelidam effudi. Hac ratione medendi, primis diebus adhibita, paucissimis febris perrexit, et omnes secretiones ut prius fiebant.

Nunc ad secundum modum curationis venio, scilicet, signis gravioribus sublevandis. Ut in primo stadio, multi concilium medicum non quærebant, ita postea, quamvis remedia supradicta sedulo usurpata fuerunt, nihilominus morbus diutius inquietavit. Remedia tamen fere eadem summum com-

modum præstiterunt. Quando dolor capitis asperius flagitaret, si vires sinerent, iterum atque iterum, sanguis detractus fuit, semperque detractio profuit. Et si affusio frigida universa nullo modo impedita fuit, scilicet ab ægro vel amicis, vel ab horrore, vel sudore multo, vel dolore pectoris, vel tussi, calore reaucto semper repetita fuit. Sed cum ægri vel amici affusioni frigidæ obstabant, dein aut tepida usus sum, aut in caput solum, ut prædixi, aquam frigidam effudi. Hæc in caput affusio perinde ac universa, profuit, nisi quod non sudorem per totum corpus statim cieret, sed dolorem capitis sustulit, calorem acrem etiam totius corporis restinxit, somnum lenem pararet, atque sitim expleret. Hæc porro affusio omni tempore febris facile ferri queat, nec eam abhorrent ægri, quemadmodum affusionem universam, quia nec e lecto surgere cogantur, neque corpus nudum præbere. Nec unquam horrores inducit, neque spiritum difficiliorem reddit, nec dolorem pectoris provocat. Lavationes quoque frigidæ aut tepidæ, atque etiam lintea aqua vel aceto vel spiritu tincta, aut corpori toti, aut stomacho, prout res poscat, adhibita fuere. Pediluvia tepida quoque capiti profuerunt.

Procedente morbo, antimonium tartarizatum cum potassæ nitrate, aqua solutum, sæpe parvis dosibus exhauserunt, et vim faustam, et in cute et in intestinis exercere visum est. Alvum et sudorem movebat, somnumque sæpe parabat. Sed si stomacho ejiciretur, in aqua menthæ viridis dissoluta sunt, vomitusque sæpe sedatus fuit. At si semper stomachus evomeret, potassæ nitras, solum in aqua

menthæ viridis, vel haustus effervescentes, sæpe præbebantur, hisque stomachus plerumque pacatus. Quotidie, vel altero quoque die, alvus medicamentis catharticis supradictis, laxata fuit. Si autem dolor vel confusio, vel stupor, vel vigilia, aut vertigo, deliriumve capiti hærebant, post remedia prædicta, statim vesicatorium amplum inter humeros applicatum fuit, et horis viginti quatuor remansit; et si seri fluxus copiosus fuit, nunquam morbus lethalis fuit, sæpissime tamen serum nonnullis diebus, acribus solitis applicatis, magis effluere feliciter factum est.

Epispastica simili modo quo alia medicamenta, profuisse videntur, nempe vasa cerebri exinaniendo atque influxum in alias partes ducendo. Hæc atque vix alia remedia contra febrem usurpata fuerunt. Vinum aut spiritus, aut tonica, donec pulsus tardior evasit, non data fuere. Opium rarissime profuit, et sæpe obesse visum est, etiam si somnum eliciat, caput hebetius atque confusius, efficeret. Clysmata data fuere, si alvus purgativis tardius responderet. Hydrargyrus nisi purgationem aut salivationem excitaret, semper obfuit.

Potus semper fere frigidus, nonnunquam tamen tepidus, si res poscat, datus fuit, aqua frigida vel cum succo limonum et saccharo, vel cum aceto, vel potassæ supertartrate plerisque gratissima fuit. Fructus quoque omnes recentes, ut limones, aurantia, poma, fructusque minores, veluti grossulæ, fraga, &c. grata esui fuerunt, aut etiam ex his confecta, potiones gratissimas quoque suppeditaverunt.

Decocta quoque hordei, atque avenæ seminum

cum saccharo, aut succo limonum vel aceto parata, atque infusa cum pane cocto vel biscocto, vel avenaceo paululum usto, potus satis gratos atque nutrientes præbent.

Cibus nisi ægro volente, raro necessarius, his nempe decoctis et infusis epotis. Sed si necessarius existimaretur, panem coctum leviterque tostum, aut biscoctum cum decocto hordeaceo, vel cum vino albo et saccharo, aqua multa diluto, præbere possumus.

Summa quoque mundities servanda est, nempe linteis atque stragulis sæpe mutandis, omnibusque excretis citissime auferendis. Cubiculum quoque mundum custodiri debet, aditus semper aeri esse oportet, adeo ut perflatio libera sit. Summa quoque quies semper observanda, nec sonitu ullo, nec luce clara, neque colloquio multo, æger fatigandus sit.

Febris abitura pulsu tardiore cognoscitur, lingua humidiore, calore ardente amoto. Tunc demum aliquid tonicum, ut infusum quassiæ vel decoctum cinchonæ dandum sit; illud potius visum est, nec tussi obfuit, immo, cito eam compescuit, appetitum cibi reddidit, et brevi ægrum corroboravit.

Vinum nunc quoque, vel spiritus cum saccharo et aqua tepida detur, cum pane cocto et jusculo carnis, vel talibus.

Alvus quoque fusa servetur.

FINIS.

Excudebant J. Graham & Co.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

HYSTERIA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Auctoritate Dignissimi Vice-Cancellarii,

GULIELMI LEECHMAN, S. S. T. P. P.

ET COLLEGII GLASG. PRAEFECTI;

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

SAMUEL EVANS, HIBERNUS,

SOC. MED. MED-PHYS. ET PHYS-MED. EDIN. SOD.

AD DIEM XXX. APRILIS,

HORA MERIDIANA, LOCO SOLITO.

GLASGUAE:

IN AEDIBUS ACADEMICIS

EXCUDEBANT ROBERTUS ET ANDREAS FOULIS,

ACADEMIAE TYPOGRAPHI

M.DCC.LXXIII.

C

Patri ſuo chariſſimo,

ROBERTO EVANS,

ARMIGERO,

Propter innumera beneficia,

Quae a patre optimo accipere potuit filius;

Aeternum venerando,

Obſequio proſequendo.

Viris quoque digniſſimis,

HUGONI MASSY,

Apud Sure Caſtle,

In Comitatu Tipperarienſi, Armigero;

Militum Tribuno:

Virtute, benevolentia, fide in Regem,

Nemini ſecundo.

UT ET,

RICHARDO LLOYD,

Apud Caſtle Lloyd,

In Comitatu Limericenſi, Armigero;

Verbi Divini Miniſtro:

Morum urbanitate, humanitate, ac pietate.

Praeclaro atque inſigni.

ITEMQUE,

ALEXANDRO STEVENSON, M. D.

Medicinae usus ac institutionum

In hac Academia

Professori clarissimo;

Ob amicitiam et benevolentiam insignem,

In sese demonstratam.

Illi, pietatis, amorisque;

Hisce, summae existimationis;

Testimonium:

Hasce quantulascunque studiosi laboris primitias,

Cum maxima observantia.

Offert

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE HYSTERIA.

Ex omnibus malis Chronicis quibus quotidie vexatur humanum genus, nullum forsan occurrit quod sexum sequiorem saepius infestat, quam hicce morbus, de quo jam tractaturus sum.

Cl. Sydenhamus de eo loquens haec verba habet, "Hic morbus si recte calculum pono, chronicorum "omnium frequentissime occurrit, et sicuti febres "cum appendicibus suis, duas partes tertias, ad "chronicos simul sumptos si comparentur, com- "plent; ita adfectus hysterici, ad reliquae partis "tertiae dimidium adsurgunt; foeminarum enim "paucissimae ab omni horum adfectuum specie pror- "sus liberae sunt, si istas excipias quae laboribus "adsuetae durae vitam tolerant."

Antequam ulterius progrediamur, diversa nomina quae sortitus est hic morbus, paucis enumerare

conabimur. Ab uteri adfectibus proveniſſe vulgo credebatur; hinc apud Graecos, πνιξ ὑστηρικη, απνοια της ὑστηρας; et apud Latinos uteri ſtrangulatio, praefocatio, et aſcenſus appellatus; eademque de cauſa hyſteria ſeu malum hyſtericum, affectio ſeu paſſio uterina, et Anglice, "ſpleen, vapours, and "fits of the mother," nominabatur; et a quibuſdam praepollentibus ſymptomatibus, ejuſque ad alios morbos ſimilitudine, perfrigeratio flatuoſa, ſyncope frigida, epilepſia et apoplexia uterina quoque dicebatur. Haec vero nomina, utpote quae a conjectura uteri ſemper affecti ortum ducunt, erronea ſunt; et vix eorum ullum vel morbum elucidare, ejuſve juſtam ideam exhibere valet. Ab uteri enim affectione non ſemper provenire hunc morbum, ex eo evincitur, quod ſexum virilem quandoque infeſtat, et ab hypochondriaſi prorſus alienus eſt; ac in ſexu etiam molliore, complures hoc malo diu graviterque pertentatae fuerunt, quarum uterus poſt mortem ne minime quidem affectus conſpiciebatur. Hoc quoque, a ſequenti obſervatione a celeberrimo Whitio deſumpta, clarius adhuc efficitur. "It is to "be obſerved, that in women the ſymptoms com-

" monly called hyfteric, are lefs frequently owing to " the unfound ftate of the womb, than to faults " fomewhere elfe in the body; for virgins are often " free from fuch complaints, while married women " and even thofe who bear children with eafy labours " are fometimes afflicted with them. Add to this, " that women who are regular, and have no ail- " ment about the uterus, do not always efcape the " hyfteric difeafe; while thofe who labour under " fchirrous tumours, and other diforders of that " part, are often not affected, at leaft with its worft " fymptoms. Laftly, in thofe who have long and " greatly fuffered by this malady, the womb after " death has frequently been obferved to be found." Sed tamen a plerisque fcriptoribus, ut et a confuetudine difcedere nolentes, nomen hyfteriae, utpote pro aptioris defectu, maxime ufitatum retinebimus.

DEFINITIO.

Ventris murmura; fenfus globi in abdomine fe volventis, ad ventriculum et fauces afcendentis, ibique ftrangulantis; fopor; convulfiones; urinae

limpidae copia profuſa; animus, nec ſponte, varius et mutabilis.

MORBI HISTORIA.

Priuſquam ſymptomatum enarrationem aggrediamur notare liceat, nullum morbum tot et tam diverſas formas induere. Nullos fere non ex iis affectibus quibus atteruntur miſeri mortales aemulatur; ejus ſymptomata, modo non innumera, ita varia ſunt, ut nulli ordini vel regulae uniformi ſtricte adhereant: vix in duabus aegris idem morbi ſpectatur vultus, et in eadem etiam aliis temporibus alia ſeſe produnt phaenomena; nunc haec nunc illa ſymptomata pollent; aliquando pauciores aliquando plures partes invadit: acceſſionis adventum modo pauciſſima vel etiam nulla, modo plurima ſymptomata praenunciant. Ex quibus omnibus, quam difficile ſit hujus morbi plenam ſeu accuratam hiſtoriam dare, vel ullum ordinem conſtantem in ejus deſcriptione conſervare, clariſſime patebit. In hoc tam arduo et laborioſo tentamine, ſymptomata quae ſaepius et magis univerſe morbum comitantur, quoad vires poterunt, enumerabimus.

Ubi acceſſio hyſterica admodum ſubitanea eſt,

hiſce plerumque ſtipatur ſymptomatibus. In inferiore ventre, in alterutro fere hypogaſtrio, globus quaſi ultro citroque varie ſeſe volvens ſentitur; quem ſequitur manifeſta partis inflatio et diſtentio. Hic globus ad ventriculum modo ſubito, modo tardius tranſit; ejusque organi inflationem et convulſiones, ſimul cum nauſea et vomitione excitat. In ejus aſcenſu haud raro adficitur diaphragma, dirisque aliquando convulſionibus agitatur: hinc ad aeſophagum et fauces aſcendit, atque faucium ſtricturam, ſpirandi nec non deglutitionis anguſtias gignit, globumque hyſtericum vulgo dictum facit. Hic curſus ab alterutra, plerumque ſiniſtra coli curvatura incipit; perque inteſtina tenuia, per ventriculum et per aeſophagum, ad fauces et gulam uſque continuatus, illic, maſſae durae inſtar, terminatur; atque ſymptomata jam dicta concitat. Varie adficiuntur externae aeque ac internae abdominis partes, et magnopere convelluntur muſculi abdominales: abdomen et viſcera ad fauces aſcendunt; introrſum retrahitur umbilicus, adeoque reconditur ut magnam cavitatem efficiat. Inteſtina rugitu obmurmurant; et ſaepe adeo conſtringitur recti ſphincter, ut ne fiſtu-

la qua liquores injiciantur immitti poſſit, neque flatibus intus concluſis ullus exitus detur. Adſunt anxietas nec non oppreſſio circa praecordia, ſingultus frequentes, cordisque tremulae palpitationes; ad cordis ſcrobiculum conſtrictionis et coarctationis ſenſus, ac tota regio epigaſtrica, veluti magna vi diſtenta, percipitur. Spiratio difficilis, anxia, anguſta, aliquando in breve temporis ſpatium ſuppreſſa, quandoque cum tuſſi ſicca convulſiva; pulſus parvus, durus, intercifus, formicans, et inequalis obvenit; miſeramque ſubita virium proſtratio, et extremorum frigus invadit. Affecto capite partibusque ſuperioribus, omnia in pejus ruunt; varie agitantur extrema, pectus faciemque miſera manibus ferit. Adſunt conſtantes fere nec non inviti motus muſculorum caput cervicemque adeuntium, cum convulſione univerſali fauces, ventriculum, inteſtina, muſculos abdominales, extrema, omnesque totius corporis partes occupante. Modo flectuntur artus, modo rigidi ac immobiles extenduntur; quandoque vero alterne protenduntur et reflectuntur. Reſpiratio nunc brevis, rara, debilis, ſumme laborioſa, ita arctata ut ſuffocationis imminentis pericu

lum minetur, aliquando penitus fere quiescit; pulsusque parvus, rarus, tenuis, ita obscurus ut vix ullus esse credatur, haud raro autem intermittens evadit. Vultus livore tumet, vox defetiscitur, oculi caligine obducuntur, sensus omnes hebetantur, vertigine circumvertitur aegra, tandemque in soporem profundum incidit; in quo statu modo motibus convulsivis agitatur; modo sensu motuque, ac vita demum ipsa quasi destituta, quieta atque immobilis jacet.

Quando vero accessio haud admodum repente superingruit, eam plerumque praegrediuntur oscitatio, pandiculatio, cum mentis corporisque lassitudine, gravedine et languore; tremunt membra, magnaque adest virium prostratio, cum extremorum rigiditate et torpore. Mens incerta stupet varieque fluctuat; anxietate praecordiorum, stricturae circa scrobiculum cordis sensu, ac regionis epigastricae distentione misera pertentatur; eamque tristitia, formido, nec non spirituum depressio exagitant. Obnubilatur visus, lachrymae profunduntur; subitus horroris atque frigoris sensus, cum repentino calore frontem, genas, tempora, lumbos, et extre-

ma occupante ſupervenit; haud raro autem ita frigeſcunt lumbi ut arte nulla incaleſcant. Aliis vultus palleſcit, aliis rubeſcit, in aliis vero in vultu genisque praecipue produnt ſeſe alternae palloris ac ruboris ſuffuſiones. Dolores errantes artus variasque corporis partes, praeſertim vero dorſum, cervicem, et caput occupant; nec non magna profunditur urinae aquam limpidam referentis copia. Inde ſequitur ſenſatio obſcura globi per diverſas imi ventris partes vagantis, in progreſſu vero ſuo verſus praecordia major mollior tumidiorque videtur, mox vero minor et durior devenit. Dolores, durities, cum inflatione ac tenſione in diverſis abdominis partibus perſentiuntur; muſculi abdominales, umbilicus et recti ſphincter omnia quae antea expoſita fuere patiuntur. Oppreſſione ac ſpirandi anguſtiis, cum ſenſu conſtrictionis circa pectus et pulmones aegra affligitur. Pulſus plerumque parvus, durus, formicans atque inequalis, nec non reſpiratio difficilis, anxia, et anguſta offenditur; ac palpitatio cordis cum tuſſi ſicca convulſiva fatigat. Haec ſymptomata vel comitantur vel preſſo pede ſequuntur tinnitus aurium, dolores per diverſas capitis partes, uti per

frontem, tempora, verticem occiputque vagantes; unus autem loco cuidam infixus clavum quasi a malleo percussum referens, clavus hystericus dictus: adest quoque vertigo, oculorum scintillatio, et sensatio muscarum circumvolitantium; varia rerum simulacra, modo lucentia, modo caliginosa motu rotante, vario, volucri, huc illuc acta ante oculos volitare videntur: alias oculi modo horrendo circumrotantur, alias adeo arcte clauduntur ut vix ulla vi iterum recludi possint. Haud raro res duplices quasi conspiciuntur; odores insoliti sentiuntur: et nunc tandem aegra motu destituta, atque in somnum quasi incidens mutescit, vel stupore correpta aliena et incondita secum mussitat. In quibusdam totum corpus convellitur, in aliis extrema solum agitantur. Insoliti roboris coratus eduntur, ita ut quamvis aegrotantes natura sint debiles, vix nunc ab astantibus coerceri queant. Ridiculis modis gestiunt, nunc saltant, nunc tremunt, nunc motu rotante in gyrum sese implicant; mille modis membra distorquentur, et furore uterino interdum corripiuntur. Mens imminuitur, alieno ac non congruente sermone secum interloquuntur; aliquando tamen sensum ani-

mumque retinent, aſtantes vident, audiunt, agnoſcunt, et remota acceſſione omnia quae ea manente facta fuere recordantur. Aliae vero diris convulſionibus quaſi fulminis ictu percuſſae, ſenſuque ac ratione privatae concidunt; quorum ſymptomatum impetum ingrata ſenſatio aurae frigidae, a pedibus vel pube incipientis, et verſus ſuperiora repentis ſaepe ſaepius praenunciat. Interjecto tempore motus gradatim remittere incipiunt, tandemque penitus quieſcunt; ſomnus apoplecticorum inſtar obrepit, quo tandem placidiore deveniente, et acceſſione remittente, cum ſuſpiriis lentis, iteratis, altisque ſerius ocius reviviſcere incipiunt miſerae. Adeſt quoque ventris rugitus obmurmurans, flatuum expulſio, profluviumque ex naturalibus ſeroſum; oculi nunc aperiuntur, pulſus vegetior pleniorque ſentitur; liberius reſpiratur; calor colorque vividiores fiunt; tandemque mentem ſenſum ac vocem recuperant aegrae, et ad ſeſe redeunt omnium quae ſibi contigerint aut interea facta fuerint prorſus immemores. In quibuſdam mens admodum turbatur, eaeque quodam maniae gradu prout videretur adficiuntur; non congruentia et abſona loquuntur; diverſis atque e-

tiam oppofitis animi perturbationibus agitantur; ac citatioribus diverforum nec non oppofitorum adfectuum, uti amoris, odii, voluptatis, gaudii, fpei, defperationis, &c. fucceffionibus viciffim tentantur; vanisque timoribus et fpirituum dejectione turbantur: horrendos ejulatus edunt, miferam fortem lachrymis effufiffimis plorant, et repente in cachinnos ac rifus immodicos, ineptaque mentis gaudia fine ulla προφασει ridicule erumpunt.

Hic vero obfervare oportet quod fymptomata jam memorata, haud omnia in una eademque faemina fimul occurrunt: modo perquam gravia offenduntur; modo ita lenia ut non nifi oppreffione et anxietate praecordiorum, cordis palpitationibus, vertigine, cephalalgia, ventriculi ac primarum viarum adfectibus, fingultu, et interdum animae defectionibus aegra vexetur.

Uti gravitas ita quoque incerta eft paroxyfmorum duratio; plerique pauca intra minuta vel pauciffimas horas folvuntur; alii totos dies perduravere; neque defuerunt quae poft fepulturam iterum tamen in vitam refurrexerint. Neque acceffiones gravitate ac duratione magis quam frequentia vari-

ant: In quibuſdam enim incertis intervallis longoque interpoſito tempore recurrunt; in aliis vero indies, interdum etiam ſaepius de die repetunt.

Notatu forſan dignum eſt quod poſt paroxyſmum complures de dolore capitis obtuſo gravante, languore et laſſitudine per multos dies queruntur; magna debilitate, animi dejectione, viriumque proſtratione adficiuntur; atque contuſae quaſi torpeſcunt; vitiantur vires coquentes, vigiliis ſeu ſomno turbato, inſomniis horrendis, et incubo denique afflíguntur.

Quaedam poſtremo reſtant ſymptomata praeter haec jam expoſita quae hunc morbum ſaepe comitantur: nulla enim in toto corpore pars eſt quae non aliquando eo adficitur, isque diverſos morbos in quaque parte aemulatur. In nonnullis epilepſiam refert, os ſpumeſcit, dentes ſtrident, ſpaſmisque ac convulſionibus miſerae invaduntur; quibus ſi ſaepius aut diutius adſuetae fuerint, paraplegia, hemiplegia, paralyſi, omnibusve catalepſeos ſymptomatibus obſidentur. Aliae ſubito corripiuntur, et apoplecticorum inſtar in coma, aut fractis repente viribus, in animi deliquium vel ſyncopen deturban-

tur: cor tremit, frigefcunt membra, atque exanimes quafi immotae ac rigentes, per horas aliquando per unum vel alterum diem jacent. Quaedam odontalgia, ptyalifmo, et fpiritu foetido; complures flatibus, eructationibus acidis, biliofis, niderofis, naufea et pituitae vifcidae vomitu exercentur. Adfunt inappetentia cibi, quandoque mira fames, fenfus inanitatis in ventriculo, cum ejufdem diftentione, cardialgia, ac fufpiriis iteratis; fpafmis contrahuntur inteftina, diverfaeque eorum partes eodem tempore diftenduntur. Aliae doloribus colicis, biliofis, aut iliacorum aemulis, cum vomitu colluviei viridis bilem referentis, aliquando fordium nigrarum fanguinis coagulati inftar infeftantur; alias reftricta alvus, alias foluta, defidendi fruftra cupiditas, et cholera in icterum quandoque definens exercent. Dolores immanes nephriticis haud abfimiles in dorfo, renibus, ac toto ureteris ductu fentiuntur: adeft fenfus irritationis et ardoris in vefica cum affidua meiendi voluntate, urina aut fupprimitur aut parce cum ardore ftillat, atque fedimentum ac colorem varium oftendit, plerumque vero redditur urinae limpidae immodica copia.

Haud raro adficiuntur pectus et pulmones, aegramque asthmatis spasmodici, ac phthiseos pulmonalis symptomata infestant. Complures denique atrocissimis dorsi, membrorum, partiumque externarum doloribus, cephalalgiis periodicis, cum insigni frigore diversas corporis partes, praecipue autem dorsum lumbosque occupante, pertentantur.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Hysteriae opportuniores evadunt quae habitum corporis laxum, mollem, tenerum, debilem, sed pleniorem ac nitidiorem habent; quae forma gracili, delicata et eleganti gaudent; quibus capilli molles, teneri, pallidi, atque subrubri; item quae temperamento sanguineo sunt; quod, vultu florido, parvis vasis, cute laevi et adeo tenui ut eam sanguinis rubor traluceat, indicatur. Plethoricis quoque et haemorrhagicis in quibus fere semper adest mobilitas, saepe occurrit. Foeminas saepius invadit quam mares qui rarissime hoc morbo tenantur, ideoque faeminino genere ubique utimur: sexui sequiori soli proprium fuisse aliqui existimavere; eos autem errasse ex eo evincitur quod plurima symptomata quae hysteriae

propria atque pathognomonica ab omnibus conceduntur, quaeque ab iis in hypochondriasi sese prodentibus prorsus aliena esse posthac ostendemus, in sexu virili quandoque videntur. Quaecunque animi corporisque magna mobilitate ac sensibilitate donantur; voluptatis atque doloris admodum sentientes, item pusillanimes, ardentes in cupiditatibus, ac morae impatientes; quae dispositione ac imaginatione festiva, vivida, agili, varia et mutabili gaudent; ad diversorum atque oppositorum adfectuum veluti amoris, odii, gaudii, doloris, clementiae et irae impetus feroces, nec non ab uno in alterum ad repentinas mutationes pronae, huic morbo procliviores deveniunt; ejusque insultus graviores atque frequentiores patiuntur. Complures mulieres quadam idiosyncrasia morbo favente constant; hoc ex eo patet, quod nonnullae quibusdam alimentis ac odoribus, plerisque omnibus innoxiis immo etiam gratis atque jucundis, mire adficiuntur. Hysteria saepe corripiuntur quae vitam otiosam ac luxuriosam degunt, corpusque haud satis exercent: innuptae, viduae atque steriles ea saepius pertentantur; hoc vero proveniat a defectu harum evacuationum quae pu-

erperium et matrimonium comitantur; e. g. Lactis ac lochiorum post partum, ut et mensium qui, omnibus aliis remediis incassum tentatis, matrimonio opportuno saepe promoventur: nuptas tamen ac feraces haud raro infestat, easque praecipue quae partus multos difficiles perpessae fuerunt; item quae luctu, moerore, morbisque diuturnis aut saepe repetitis laboravere. Junioribus saepius incidit, provectioribus rarius, ac frequenter eo tempore quo minui incipit sensibilitas, discedit; hinc quae in juventute multum afflictae fuere, provecta aetate ab ea liberae atque incolumes evadunt. Inter pubertatem et tempus quo menses fluere desinunt saepissime adoritur; nonnullas tamen antequam fluere inceperunt, alias vero postquam penitus cessarunt, occupasse non desunt exempla: menstrua quoque periodo consueta abeuntia ei saepe saepius viam sternunt; eo enim tempore mulieres variis morbis diuturnis ac pertinacibus opportuniores fiunt. Quamvis huic morbo maxime obnoxiae sunt tenerae atque delicatulae, eas tamen quae forti ac robusto corporis habitu fruuntur, ideoque viragines appellantur quandoque obsidet; in hisce vero a causis

occasionalibus perquam violentis inducitur, totum systema latius adficitur, atque vehementior est ejus impetus; tenerae vero, delicatulae et chloroticae topicis affectibus saepius exercentur. Ab insolita laxitate, debilitate, ac sensibilitate diversarum corporis partium, uti ventriculi, intestinorum, cordis et pulmonum saepenumero provenit. Denique hyems, ver et autumnus, ut et aër nebulosus, humidus, frigidus, insultus crebriores ac graviores haud raro inferunt. Perpensis causis hujus morbi praedisponentibus, multas ei jure quasi haereditario proclives esse clarissime patet.

CAUSAE OCCASIONALES.

Quaecunque hysteriae opportunae sunt, eas in eam saepe impellunt animi vehementes et repentinae perturbationes; subitaeque ab aliis in alias atque oppositas, ut a luctu in gaudium &c. mutationes: praecipue ubi multae atque oppositae mentis commotiones, velut amor, odium, ira, moeror, terror, &c. inter se uno eodemque tempore fluctuant et colluctantur. Res visu deformes et horrendae; calamitatis tristis atque infaustae nuncius repentinus;

recitationes lugubres et horrificae; quinetiam rerum quae animum ingrata ac molesta sensatione afficiunt, recordatio, insultus hystericos haud raro excitant. Denique aliarum vel hoc morbo, vel aliis motibus convulsivis correptarum conspectus: hujus exempla permulta in nosocomiis sese offerunt; et ipse in nosocomio Edinensi decem aut duodecem circiter foeminas sub paroxysmo hysterico colluctantem circumstantes et adjuvantes vidi, quae omnes brevi tempore in paroxysmos inciderunt. Hunc morbum quoque inferunt quidam odores; velut moschi, rosarum, ambragriseae et consimilium: sonitus peculiares qui dentium stridorem aliasque ingratas sensationes creant; et demum luces vividiores et clariores oculis affulgentes. Suppressio vel diminutio evacuationum solitarum; ut mensium, haemorrhoidum, lochiorum, fonticulorum et setaceorum hysteriam saepe inducunt; et quandoque a fluore albo suppresso provenit: quando menses ab ira aliisve perturbationibus supprimuntur paroxysmos pergraves saepe afferunt. Periodo menstruali saepissime accidit, et tunc a causis levibus quae aliis temporibus foeminam haud afficerent inducitur.

Est species hysteriae libidinosa dicta, cujus exempla a Sauvagesio et Astrucio enarrantur; atque gestus, verba, et facta aegrotantium lasciva ad furorem uterinum usque adaucta talem quandoque obtinere, atque a salacitate ad summam accensa provenire testari viderentur. Quidam auctores haec symptomata ab humiditate ex genitalibus profluente accendi opinantur; ea tamen prout symptomatica tantum neque paroxysmi causa censenda: haec vero morbi species in regionibus calidis saepius, in frigidis autem rarius conspicitur. Quinetiam immodica veneris indulgentia hysteriam interdum parit; nimia enim libido mobilitatem auget, morbique insultibus gravioribus ac frequentioribus viam sternit. Pro causis excitantibus habentur evacuationes immodicae per sanguinis missiones, haemorrhagias, mensium profluvium, nimiumve lochiorum fluxum; ut et excretiones nimiae per catharsin sudorem, &c. Item quaecunque vim nervosam debilitant, ejusve dispendium faciunt; uti defatigatio magna et insolita, inanitio, vigiliae nimis protractae, labores graves ac diuturni. Omnes turgescentiae ac relaxationis causae; uti cubicula arcta et calida, ad solis aestum

expoſitio nimia, atque calidae lavationis uſus. Hic quoque enumeretur immodica theae ingurgitatio; atque hyſtericae affectiones in Batavia quam alibi ſaepius graſſantes ab hoc fonte forſan profluere poſſint.

Miliarium aliarumque cuticularium eruptionum repulſio; arthritis irregularis ſeu ſuppreſſa; huic fidem faciunt exempla a Cl. Whytio aliisque prolata, atque haec inſignis ſententia a Muſgravio deſumpta: "Enimvero uſu medico vel parum exercitatos
" hoc latere nequit; arthritide (praecipue frigida,
" inerti, languida; maxime vero omnium ea ſup-
" preſſa retuſaque) aegrotantes; interdum humeri,
" pectoris, dorſi, lumborum, aliarumque in ambitu
" corporis partium, dolore vago tanquam rheuma-
" tico; ſaepe etiam capitis affectibus more prorſus
" hyſterico; alias aliis in corpore malis quaſi ſcor-
" buticis urgeri: ſaepiſſime vero valetudine dubia,
" et in tempus diuturnum incerta et neutra eſſe.
" Qui quidem eorum ſtatus ac conditiones, ſenſu
" remiſſiori et leniori gradu morboſae, natales ſuos
" arthritico miaſmati, coeco, in corpus ſubrepenti,
" et eo loci clam agenti, ſe debere, ultro videntur

"agnoſcere; quinetiam aliquando, multos poſt "annos, dubium hunc in modum actos, tandem "apparente paroxyſmo arthritidis idoneo, de iſto- "rum origine et natura malorum arthritica omnis "ſublata dubitatio eſt." Huic morbo anſam praebent flatus et pituita viſcida in ventriculo, cibus flatulentus, ingeſta ventriculo ingrata, aër in digeſtione alimentorum extricatus et non abſorptus: ſordes ac vermes in primis viis; alvi conſtipatio; perſpiratio a frigore et humiditate pedum praeſertim impedita inter cauſas occaſionales locum merentur: ac denique ſubitae ſtatus corporis mutationes, uti poſt plenum habitum repentina attenuatio et reſolutio; et vice verſa.

Plurimas demum mulieres invadit hicce morbus, quando nulla omnino cauſa occaſionalis detegi poteſt.

CAUSA PROXIMA.

Haec quidem inveſtigatu difficillima ſi non impoſſibilis; et de ea tantum dicere licet quod hyſteriae ſymptomata magnam ſyſtematis mobilitatem, quam ex morbido quodam vis nerveae ſtatu oriri

ſupponimus, demonſtrant: qualis autem ſit hic peculiaris ſtatus haud aſſerere poſſumus; nam uti naturam hujus fluidi in ſtatu ſano ignoramus, mutationes quas in morbido ſtatu patitur nos ignorare neceſſario ſequitur. Haec ideoque mobilitas prout certae affectionis vis nerveae effectus ſolummodo conſideranda eſt; cujus vero affectionis natura propria tenebris obſcuris ſepulta latet, et in aeternum fortaſſe latebit.

DIAGNOSIS.

Auctores plerique hyſteriam et hypochondriaſin pro uno eodemque morbo habebant; et nulla alia nota differre niſi quod illa faeminis, haec maribus ſaepiſſime contingit, opinabantur: in Sydenhamo "affectionis in faeminis hyſtericae, in maribus hypochondriacae dictae" appellationem ſortitur. Quicunque autem utriusque morbi ſymptomata, adfectuum atque corporum iis opportunorum naturas, cauſasque praediſponentes et occaſionales accurate perpendet, is unum ab altero prorſus diſtare videbit: quae res, quo clarius eluceſcat, ſigna quibus hi morbi a ſe invicem dignoſcantur, exponere conabor:

atque a ſymptomatibus primum incipiam. Quaedam ſymptomata, quales ſunt ventriculi inflationes ac diſtentiones, eructationes acidae, niderofae, cruditates aliaeque dyſpepticae affectiones in utroque morbo ſeſe produnt; haec autem aliis morbis ab hyſteria plane diverſis, velut chloroſi, menſium retentioni, arthritidi vagae, aeque communes ſunt; ideoque in praeſenti lite nihil valent: praeterea dyſpeptica ſymptomata hyſteriam non ſemper comitantur, ſed in hypochondriaſi vix unquam deſunt. Quaedam mentis affectiones, ſicut animi dejectio atque timiditas, imaginatio prava cum ſimilibus, in utroque videntur; hae autem ipſae in illa rarius, hac vero ſaepius contingunt. Hyſtericas infeſtant ſpaſmi et convulſiones quibus violenter contrahuntur muſculi abdominales, atque umbilicus introrſum altiusque retrahitur; in hypochondriacis autem abdomen diſtentum potius prominensque videtur. Adfectus hyſterici violentiores magisque convulſivi ſunt, latiusque univerſum ſyſtema pervadunt; hypochondriaci autem imbecilliores magisque intra tubi inteſtinalis limites circumſcripti. In hyſtericis adeſt lumborum inſigne frigus, ita ut manu parti impoſi-

ta perſentiatur, neque calidis veſtimentis calefieri queat; globus quoque ab imo ventre ad gulam aſcendens omni verae hyſteriae pius minus inhaeret; ut et gulae conſtrictio, quae ſtrangulationem mortemque inſtantem minatur; clavusque hyſtericus: quae omnia hypochondriaſi plerumque aliena ſunt; aut ſi quaedam ex iis in illa contingant, utriusque morbi complicationem denotant: haec enim ſymptomata, praeſertim clavus hyſtericus, in hypochondriaſi rariſſima ſunt, ac vix unquam occurrunt niſi in illa ſpecie quae ab hyſteria oritur, ideoque hyſterica dicitur. Hypochondriacis rariſſime contingunt animi defectiones quae in hyſtericis tam ſaepe videntur. Horum quoque morborum diſtinctioni haud male inſerviunt omnia mortis ſigna quae in hyſteria per horas immo etiam per dies duravere; qualia nulla experiuntur hypochondriaci. Prior quandoque ita ſubito invadit, ut ſtatim concidat aegra, ac brevibus ſaepe conſtat acceſſionibus; poſterior tarde et paulatim advenit diuque plerumque perdurat; neque unquam motu ſenſuque privata miſera concidit. In illa perlonga adſunt integrae valetudinis intervalla, quae in hac rariſſime obſervantur. Hyſte-

ria denique medicamentis aut vivendi debita ratione, quandoque etiam ſponte, nunquam reditura fugatur; hypochondriaſis autem firmata vix unquam penitus tollitur: omnes enim affectiones hypochondriacae per ſe multo conſtantiores, ſtabiliores, ac diuturniores quam hyſtericae comperiuntur.

Nunc ex naturis atque habitibus hiſce morbis opportunis quaedam diſcrimina petantur.

Hyſteria itaque eas praecipue pertentat quae corpora laxa, tenera ac delicatula, vultumque candidiorem nactae ſunt; quae venis minime conſpicuis, cute molli, tenera, laevi, et adeo pellucida, ut eam florens ſanguineus color decore transfulgeat, donantur; quae habitu corporis pleniore ac nitidiore, formaque ideo amabiliore gaudent; quibus capilli candidi, pallidi, ſubrubri, et molles; atque in quarum alvi ſtatu nihil memorabile apparet. Hiſce autem contraria in hypochondriaſi videntur; eos enim invadit quibus corpora rigidiora, ſolidaque magis tenſa ſunt; qui cutem duriorem, aſperiorem et craſſiorem habent; qui habitu aduſto, arido, macilento, vultuque ſubfuſco conſtant; quorum crines duri, nigri, criſpati; venaeque majores tur-

gidae: quibusque alvi conſtipatio, plethora venoſa, ideoque affectiones haemorrhoidales aſſuetae fuerunt. Prior eas infeſtat quae temperamento ſanguineo, magnaque ſyſtematis nervoſi ſenſibilitate praeditae ſunt: poſterior eos qui temperamentum melancholicum ſeu atrabilarium, et ſyſtematis nervoſi torporem potius quam ſenſibilitatem nacti fuere. In illa adeſt mira mentis mobilitas, ac tranſitio ab uno in alterum perceleris; ſummum perceptionis acumen; mens uni rei non diu intenſius inhaeret; animi perturbationes facile excitantur, ſed cito iterum ſubſidunt: in hac autem aeger uni rei attentionem diuturnam, ſtudiumque intenſum impendere poteſt; acumen ingenii obtunditur; pathemata aegre excitantur, ſemel autem excitata admodum violenta ac diuturna perſtant. Hyſteria plerumque circa florem aetatis invadit, et intra pubertatem ac triceſimum quintum aetatis annum continetur; hypochondriaſis autem incipit eo ipſo tempore quo illa definit, et ad vitae finem plerumque perdurat. In priore quaedam ſecretiones augentur; in poſteriore vero torpidae ac languidae pro ordinario offenduntur. Illa denique mulieres, haec viros ſaepiſſime aggreditur.

Pauca ſolummodo de cauſis horum morborum dicenda reſtant. Hyſteriam ſaepe excitant cauſae externae, quales ſunt quidam odores, animi ſubitae et graves perturbationes ; earumque plurimae, velut amor, ira, odium, &c. cum tumultu inter ſe aeſtuantes, varieque viciſſim agitantes. Hypochondriaſin ſaepius inferunt cauſae internae, quales ſunt animi ſollicitudines, nec ſubitae, nec multae ſimul colluctantes ; ſed curae peculiares gradatim incipientes, viresque diuturnitate ac fovendo acquirentes. Item coela frigida hyſtericis, calida vero hypochondriacis conveniunt. Illa denique ſubitis, haec vero tardis evacuationibus inducitur. Ex omnibus quas enumeravi notis, hos morbos prorſus diverſos eſſe patet ; eos autem ſaepe mixtos atque complicatos eſſe haud inficias ibo : hyſteria enim diuturnitate vel ſaevitia pertinacior facta, altiusque infixa in hypochondriaſin quandoque tranſit.

Syncopen, apoplexiam, et epilepſiam hyſteria haud raro aemulatur : facile autem diſtinguuntur, quia in iis deſunt plurima ſymptomata quae paroxyſmum hyſtericum vel praecedunt vel comitantur ; qualia ſunt frigus inſigne lumborum ; motus obſcu-

rus in regione hypogaſtrica initio paroxyſmi perceptus, qui poſtea ſenſibus magis obvius devenit, globumque refert; ut et gutturis adſtrictio, ſenſusque ſuffocationis. In hyſteria ſymptomata in canalem alimentarium primum impetum plerumque faciunt, atque exinde ad ceteras corporis partes ſeſe extendunt. Sed praeter has notas generales aliae adſunt utrique morbo propriae, quas ſuo ordine jam exponam.

A ſyncope vera dignoſcitur hyſterica; quia in illa facies pallida atque contracta eſt, penitusque ceſſant pulſus et reſpiratio: in hac vero facies ſaepe rubra, livida, atque inflata devenit; pulſusque et ſpiritus quamvis debiles ac languidi ex ordinario tamen percipi poſſunt. Priorem haud comitatur motus in regione uterina, qui in poſteriore ita inſignis eſt. In hac non ſeſe produnt gelidi ſudores corporisque totius frigus, quae in illa tam ſaepe occurrunt. Syncope denique niſi lethalis cito terminatur; neque per dies, ut in hyſteria fit, perdurat.

Hyſteria et apoplexia facile diſtinguuntur: ſymptomata enim quae illam comitantur; qualia ſunt regionis hypogaſtricae atque umbilicalis motus, globus

hystericus, &c. vix unquam in hac videntur. Posterior repente invadit pereuntque sensus motusque; prior autem rarissime adeo repente obsidet, ut aegrotans sensu motuque statim privetur. In ipso quoque paroxysmo multum differunt: apoplexiam comitatur stertor, respiratio alta atque laboriosa; pulsusque plenus, fortis, magnus et regularis; quae omnia hysteriae aliena sunt; in qua respiratio languida, pulsusque parvus, debilis, et inaequalis plerumque comperitur. In apoplexia pulsus et respiratio nunquam omnino cessant, ut fit in hysterico insultu hoc malum simulante. Illa aetate provectos occupat; haec vero nulli vitae tempori propria est.

Hysteria ab epilepsia differt quia in hac desunt plurima ex symptomatibus quae in illa videntur, eique propria dicuntur: in hysteria primae viae magis adficiuntur, neque eam tam saepe comitantur adeo dirae convulsiones ac distortiones; neque miserae tam saepe, aut tam diu sensus animumque perdunt, aut ore spumant; aut si quando haec omnia hystericis contingant, malum mixtae naturae esse suspicari ducerer; hi enim morbi perquam analogi sunt, quippe quia eidem causae, scilicet statui syste-

matis plethorico atque mobilitati per eum inductae ortum debent.

Convulsiones; soporis, globi hysterici, aliorumque hysteriae symptomatum absentia ab ea distinguuntur.

Hic morbus adfectus nephriticos vel calculosos haud raro refert. Per signa autem sequentia distingui potest. Symptomata hysteriae pathognomonica et characteristica in affectibus nephriticis nunquam videntur: in his respiratio, ceteris paribus, satis libera, in illa saepe saepius turbatur. Hysteriam inducunt quidam odores vehementes et animi subitae perturbationes, mensium ac lochiorum vitia, subitae ac immodicae evacuationes, aliaeque causae quae calculosos aut nephriticos nunquam afficiunt. Certissimum autem criterion est accurata scientia praedispositionis aegrotantium; atque morborum quibus maxime proclives sunt: nam uti mulieres adfectus hystericos saepius, nephriticos rarius experiuntur, hoc formandae diagnosi haud male inservit. Adfectus nephriticos quoque alia distinguunt symptomata quae in hysteria desunt; qualia sunt dolor motu corpusque incurvando auctus, idemque in latus

affectum jacendo diminutus; ſymptomata febrilia; ſtatusque urinae, quae quamvis initio paroxyſmi nephritici pallida ſit; attamen alte colorata, rubella, turbida, et quandoque ſanguinea cito devenit; atque ſedimentum mucoſum et ſabuloſum deponit. Et denique ſi poſt dolores lancinantes, ſummosque cruciatus per ureteris ductum deſcendentes calculi vel arenulae cum urina ejiciantur; quin haec ſymptomata ab affectione nephritica proveniant haud erit dubitandi locus.

PROGNOSIS.

Hic morbus plus terroris quam periculi ſecum adfert; paroxyſmus enim rariſſime lethalis terminatur. Exempla tamen ſunt ab apoplexia, diuturnis animi defectionibus e medio direptarum: haec vero perquam raro eveniunt.

In formando eventus judicio cauſas excitantes atque praediſponentes, aegrotantis vires, ſymptomatumque naturam perpendere oportet. Quod ad curationem, ea in dubio multum obvolvitur; modo facillime, modo nullis remediis efficitur. Rariſſime curatur hyſteriae ſpecies haereditaria, ſeu a labe hae-

reditaria, quam vix unquam radicitus extirpare possumus, exorta. Neque curationem spondere oportet, ubi a diuturnitate morbi accessionumque frequentia ac saevitia aegrotantis vires fractae atque exhaustae fuerunt; quippe quae mobilitatem systematis augent, morbique radices altius insigunt; et haud raro hypochondriasi, epilepsiae, aliisque generis nervosi morbis viam sternunt. Hysteriam quoque plethoricam tollere quandoque perdifficile est, quia ad medelam perficiendam prorsus mutandus est corporis habitus, et quamvis correcta vel etiam remota sit diathesis plethorica, ex minimis diaetae erroribus maxime recidiva est. Obstructiones mensium pertinaces habitui pleno vel chlorotico favent, morbumque non raro firmant; si vero recens sit suppressio et menstrua reduci possunt, medelae spes laeta affulget. Quando a nimiis sanguinis profusionibus, praesertim immodicis menstrualibus inducitur, perdifficilis erit curatio; quoniam hae evacuationes plethoram atque mobilitatem augent, morbumque pertinaciorem reddunt; vel corpus ita exhauriunt ac debilitant, ut hypochondriasin demum inferant. Quo junior est foemina, quo recentior morbus, quo

minus fractae aegrotantis vires, quo leviores caufae inducentes, quo mitiora fymptomata, denique quo minus afficiuntur functiones vitales ac naturales, et quo minus morbus aliis malis mixtus; eo minus erit periculum, atque facilior fanatio: hifce autem contraria fanationem difficiliorem ac plus periculi indicant.

METHODUS MEDENDI.

Indicationes curatoriae ſunt,

I. Acceſſionem tollere, aut quam mitiſſimam et breviſſimam reddere.

- A In Plethoricis. per
  - 1 Evacuantia.
    - a Sanguinis miſſiones.
  - 2 Antiſpaſmodica.
- B In mobilibus irritabilibus delicatulisque.
  - 1 Antiſpaſmodica.
    - a Interne aſſumpta quorum praecipua.
      - *a* Opium.
      - *b* Moſchus.
      - *c* Aether.
      - *d* Caſtoreum.
      - *e* Camphora.
      - *f* Gummi foetida.
    - b Externe applicata.
      - *a* Balneum tepidum.
        - *aa* Semicupium.
        - *bb* Pediluvium.
        - *cc* Fomentationes.
      - *b* Emplaſtra ſedantia varia.
  - 2 Stimulantia.
    - a Interna.
      - *a* Alkali volatile.
      - *b* Spirit. ſalis ammon. vel C. C.
      - *c* Spirit. roris marini, &c.
      - *d* Oleum ſuccini.
      - *g* Cardiaca exhilarantia.
      - *h* Emetica et clyſmata aeria.
    - b Externa.
      - *a* Veſicatoria.
      - *b* Rubefacientia.
      - *c* Cauſtia ſive eſcharotica.
      - *d* Aquae frigidae affuſio.
      - *e* Corporis frictio.
      - *f* Doloris exſuſcitatio.

g Fumi naribus ſubpoſiti.
aa Nicotianae.
bb Plumarum accenſarum.
cc Aſſafoetidae aliorumque volatilium.

II. Paroxyſmi recurſum praevertere.

A Cauſas occaſionales evitando.
B Statum ſyſtematis plethoricum dimovendo.
1 Sanguinis eductione.
2 Catharticorum uſu.
3 Setaceis fonticulisque.
4 Exercitio.
5 Diaeta parciore.
C Mobilitatem, irritabilitatemque corrigendo.
1 Aeris puri, aperti, frigidiuſculi, uſu.
2 Exercitatione modica.
3 Corpus leniter ac diu perfricando.
4 Vino modice ſumpto.
5 Mentem hilarem ſervando.
6 Tonicis remediis. quorum ſunt efficaciſſima.
a Cortex Peruvianus.
b Elixir. vitrioli.
c Ferri praeparata.
d Flores zinci.
e Amara et aromatica.
f Balneum frigidum.
g Terroris certi gradus.
7 Antiſpaſmodicis ſupra dictis.

I. ACCESSIONEM TOLLERE.

Apprime neceffarium effe paroxyfmum quam primum tollere clariffime patet, quia eum haud raro comitatur magnum periculum, fi in habitu pleno ac fanguineo occurrat; praecipue vero fi caput adficiatur, aut quaevis adfint apoplexiae fymptomata: praeterea ab acceffionum diuturnitate, et convulfionum violentia, augentur atonia atque mobilitas fyftematis; unde paroxyfmi graviores eorumque recurfus frequentiores evadunt. Si vero morbi impetus haud graves vel diuturni fint, vix ullis auxiliis opus erit, nam acceffio fponte fua difcedet.

Imprimis quid tempore paroxyfmi faciendum, breviter dicam.

Anne celebrando fit venaefectio? Hujus evacuationis utilitatem quo melius afferere poffimus, notare oportet duas effe hyfteriae fpecies, ex diverfis atque oppofitis caufis, mobilitate plethorica, ac mobilitate pura ex depletione feu debilitate fcilicet, exortas: in priore cafu venaefectio, evacuationes, victusque tenuis indicantur; haec vero in pofteriore admodum nocere conftat, qui tonicorum et corrobo-

rantium usum, victumque reficientem ac nutrientem deposcit.

Sed quoniam hae duae species haud facile saepe dignoscuntur; operae pretium erit animadvertere, quod in hysteria ex pura mobilitate convulsiones facilius excitantur, quam in hysteria plethorica: quae timiditate, vanis timoribus, atque diversis dyspepsiae symptomatibus saepius stipatur.

Quando hysteria in plethoricis, quibus est habitus plenus atque sanguineus, contingit; vel quibus menses a frigore subito supprimuntur; ubi congestionis auctique impetus ad caput atque pulmones signa adsint; qualia respiratione difficili et laboriosa, vultu tumido, livido, pulsuque pleno denotantur: praesertim si apoplexiae comatisve adsint symptomata; et denique si a causis occasionalibus subitis, velut animi violentis commotionibus et consimilibus oriatur; in hisce casibus venaesectio utilis ac necessaria habetur. Rarissime bonos edit effectus quando pulsus debilis, parvus, et inaequalis; atque respiratio languida offenditur: si autem alia symptomata deposcant, haud alienum erit parvam quantitatem detrahere; nam saepissime accidit quod parva quanti-

tas unius vel duarum ſanguinis unciarum detracta ſymptomata multum levabit; et quandoque ſecta vena priuſquam vel uncia effunditur, fugatur vel ſaltem levatur paroxyſmus. Si pulſus plenior magisque aequalis, atque ſymptomata mitiora poſt operationem evadant, eam pro re nata, ſed ſumma cum cautela repetere licebit. Generali vero ſermone, in delicatulis atque mobilibus, abſente ſtatu plethorico, iisque praeſertim multas paroxyſmorum repetitiones perpeſſis, venaeſectio inutilis immo periculoſa jure habetur. Haud obliviſcendum tamen, quod quamvis nulla adſint plethorae generalis in ſyſtemate ſigna, quandoque obtineat plethora partialis, vel accumulatio topica in vaſis cerebri; (ex. gr.) ubi ſimul cum languoris atque debilitatis ſignis ſeſeoſtendunt topicae capitis affectiones, quae per detractiones ſanguinis topicas tutius dimoventur. Hae per hirudines et cucurbitulas cruentas fieri poſſunt, quarum poſteriores potius eligerem: priorum enim uſum magna difficultas ac moleſtia comitantur; vulnera ſanguinem fundentia non niſi cum ſummo labore ſiſtenda ſaepe relinquunt; ſanguinis miſſio tarda eſt; et quantitatis ablatae incerti ſumus. Per

cucurbitulas vero eductio ſubitanea eſt; quantitatem debitam detrahere, et quantitatem ablatam melius cognoſcere poſſumus. Eidem quoque conſilio inſerviant venae jugularis aut arteriae temporalis puncturae; hiſce vero plerumque potiores ſunt cucurbitulae et ſcarificationes.

In corporibus irritabilibus, quae a diuturnitate morbi fracta atque debilitata fuerunt, et praecipue ſi morbus ab affectione ſyſtematis nervoſi provenerit, ſanguinis detractio periculoſa eſt; ſummeque perniciosa ubi paroxyſmus ſyncopen aemulatur.

Quando aegrotans diris convulſionibus agitatur, antiſpaſmodica apprime utilia comperiuntur. Inter optima habentur opium, moſchus, caſtoreum, et aether, quae acceſſionem ingruentem ſaepe penitus avertere vidi. Camphora quoque caeteris deficientibus aliquando ſuccedit; ejus autem effectus admodum incerti ſunt: in parvis doſibus adhibita vix ullos edit,et in doſibus paulo majoribus nimis violenta eſt ejus operatio; itaque ab ea periculum quam rariſſime facerem. Quaeque mitiora anteponantur; calida atque acria convulſiones augere obſervantur. Haud raro ita conſtringuntur os et fauces ut nihil in

ventriculum tranfire admittant; in quo cafu enemata ex laudano liquido et affafoetida; aut emplaftrum ex theriaca, laudano liquido madefactum, regioni ventriculi applicatum faeliciffimos quandoque praeftant effectus. Si menfes a fpafmo vel irritatione retenti fint, imprimis alvum enemate emolliente folvere eoque reddito enema anodynum injicere oportet; quod menftruorum fluxum, fpafmum folvendo accelerabit. Emplaftrum ex gummis foetidis abdomini applicatum haud raro fymptomata multum levat. Inter antifpafmodica enumerentur fomentationes, femicupium ac pediluvium: haec praecipue indicantur ubi adeft auctus fanguinis ad ullam fyftematis partem impetus, ubi extrema frigefcunt; corpusque multum convulfionibus agitatur: hic vero femicupium utpote magis et aequabilius relaxat, magisque ad cutem impellit, caeteris anteponendum videretur. Haec vero ubicunque fefe oftendunt plethorae fymptomata, haud ante debitas evacuationes ufurpanda; et in debilitate, fyncope ac inanitate admodum nocent. In paroxyfmo hyfterico menfium adventum praegrediente, femicupium, pediluvium, vel fomenta regioni uteri applica-

ta, aut etiam aquae calidae vapores; menfes faepe inducunt, et fymptomata magnopere levant.

Nunc ad ftimulantia perventum eft. Haec fumma cum cantela adhiberi debent: In pleno corpore, topicisque adfectibus nocent; et ubicumque fanguis impetu majori ad caput vel pulmones rapitur, vultusque lividus ac tumidus videtur, magnum fecum adferunt periculum. In quibus cafibus fanguinis miffionem, alvum folventia, atque relaxantia eorum ufum praecedere oportebit; aliter periculum eft ne aliqua vafa cerebri vel pulmonum rumpantur. Alkali volatile; fpiritus falis ammoniaci vel cornu cervi; fpirit. rorifmarini; plumarum accenfarum, nicotianae, et affafoetidae fumi naribus applicati aegram faepe exfufcitant: enemata quoque ex affafoetida; ut et oleum fuccini vel naribus admotum, vel enematis forma adhibitum cum fructu frequenter ufurpantur; fed aliquando convulfiones augere obfervantur. Aquae frigidae in faciem et pectus affufio faelices effectus faepe habet; praefertim fi paroxyfmus fyncopen aemulatur: fi autem adfit vaforum plenitudo aut topicae affectiones magno cum periculo affociatur.

Aliquando ad veficatoria, finepifmata, enemata atque emetica acria medici confugiunt; immo aliqui fternutatoria fortiffima in nares flando, corporis varias partes pungendo ac vulnerando, plantisque pedum ferra excandentia admovendo miferam exfufcitare tentabant: haec autem perquam nociva funt et non nifi in fumma extremitate ufurpanda. Plus utilitatis a balneo tepido, corpus pannis fricando, atque calore lecti, cardiacisque exhilarantibus aegram fovendo hauriri poteft; neque nifi his deficientibus ad feveriora recurrendum. Quamvis autem haec ipfa adhibita inefficacia tamen deprehendantur, non ftatim tumulo tradenda funt mifera corpora; fed expectandum donec incipientis putredinis figna dubium in triftem certitudinem mutent. Multae enim per dies absque ullis vel minimis vitae fignis jacuerunt, atque iterum in vitam quafi refurrexerunt.

Paroxyfmo foluto aegram in lectum decumbere, atque cardiacis exhilarantibus ac reficientibus foveri, oportet.

II. PAROXYSMI RECURSUM PRAEVERTERE.

A. Causas occasionales evitando.

Caufae occafionales feu excitantes, multae atque diverfae, medelam longam nec non diverfam exigunt; earum plurimae (ex. gr. fi a libidine nimia, adfectibus animi violentis, vita luxuriofa, voluptuofa, atque otiofa; menftruorum vitiis, caeterisque fimilibus morbus proceflerit;) difficillime curantur, vel debitos intra limites etiam fervantur; et prout morbi per fe jure cenfeantur. Earum itaque difcuffionem jam omittam; nam de iis omnibus nec temporis exiguitas, neque angufti talis differtationis limites hicce loci fufius tractare finunt: quaecunque tamen memoratu neceffariae occurrunt, de iis pofthac leviter mentionem faciam.

B. Statum systematis plethoricum ex eoque profluentem mobilitatem dimovendo.

Ad fanguinis detractionem, prout remedium efficaciffimum ad tollendam plethoram medici plerumque confugiunt: in ejus vero nimis libero ufu

ſaepiſſime peccatur. In temperamentis ſanguineis et haemorrhagicis, cum mobilitate ſyſtematis junctis forſan prodeſſe poſſit. Si morbus a plethora vel animi violentis adfectibus procedat; ſi circa menſium periodum ſolito gravior deveniat; et praeſertim ſi menſtrua ſubito ſupprimantur; vel quantitate debita non fluant; in hiſce caſibus ſanguinis detractio in eventus faeliciſſimos ſaepe abit. In hyſteria autem ex mobilitate pura, ſyſtematis nervoſi ſenſibilitate ac debilitate, ſanguinis defectu, haemorrhagiis, aliisve evacuationibus immodicis enata; in remedium periculoſiſſimum immo pernicioſiſſimum evadit. Venaeſectiones copioſae aut ſaepius repetitae, in pleno etiam habitu nocent; plethoram enim ac debilitatem adaugent, morbumque pertinaciorem magisque recidivum reddunt: ideoque ſtatus plethoricus, quando talis adeſt, diaeta parca, tenui, atque abſtinentia optime corrigitur.

In plethora vaſorum capitis partiali, cathartica per revulſionem forſan prodeſſe poſſint; ſed quoniam propter canalis alimentarii eximiam ſenſibilitatem, ſyſtematis mobilitatem augere inſerviunt, ſumma cum cautela ut uſitentur oportet: quaeque mi-

tiſſima et haec tantum ad alvi modicam ſolutionem propinentur.

Hae quidem evacuationes per venaeſectionem et catharſin ad plethoram preſentem tantum dimovendam utiles celebrantur; cui vero rediturae potius favent: plethorae enim recurrenti per ſequentia optime antevenitur.

Ex frequenti hyſteriae cum dyſpepſia complicatione, medicis commune fuit hyſtericis diaetam plenam animalem praeſcribere, qua nihil exitioſius eſſe poteſt. E contrario victus tenuis ad morbum rediturum praecavendum accommodiſſimus habetur; atque in ſtatu plethorico absque ullis, aut ſaltem inſignibus dyſpepſiae ſymptomatibus, de ejus utilitate nihil dubii ſupereſſe poteſt: ſed etiam quamvis ſtatus plethoricus haud admodum inſignis ſit, morbusque ex mobilitate pendeat, quilibet plenitudinis gradus eandem augere morboque recurrenti favere proclivis eſt.

Ideoque cibus debet eſſe tenuis, levis, facilis concoctu, atque perſpirabilis: omnes duri, ſaliti, pingues, graveſque cibi evitandi; ut et victus omnis luxurioſus, qui morbum procul dubio auget exaſ-

peratque. Refrigerantia et acida ſaepe feliciter ſubminiſtrantur. Diaeta lactea ac vegetabilis, cibo animali ac liquoribus fermentatis prorſus evitatis optimum plerumque praeſtat remedium. Quaeque vegetabilia aquoſa, flatulenta, et in aceſſentiam ruere prona caveantur. Farinacea caeteris omnibus praeſtant, et ventriculo ſaepe congruent, ubi alia vegetabilia aciditatem procreabunt. Haec autem diaeta morbi diuturnitate ac ſaevitia fractis haud ſemper convenit; atque aceſcere quandoque prona eſt; praeſertim ſi morbus ad hypochondriaſis tempus aut naturam propius accedat: in quo caſu cibum animalem ſed leviſſimum tantum eligere oportet.

Omnes in diaeta mutationes gradatim fieri debent. Cibi quoque quantitatis aeque ac generis ratio habenda; parva copia ſed ſaepe repetita ſumatur; acque nocent inedia atque ſatietas, ventriculumque debilitare conducunt. Omnes coenae graves, omnesque potus fermentati, quippe qui flatuum generationi favent, evitentur; ut et calidi liquores cujuscunque demum generis, nimisque frequens theae uſus, qui omnes ventriculum ac totum corpus relaxare conferunt.

Magnis nec immeritis laudibus attollitur exercitium. Aſſumptorum concoctionem, vaſorum actionem, fluidorum diſtributionem aequabilem, ſecretiones et excretiones, praecipue autem perſpirationem promovet; humores tenues nec non inutiles diſſipat; atque plethorae generationem impedit. Fibrae muſcularis corporisque totius robur ac vigorem auget; ſyſtematis mobilitatem nimiamque ſenſibilitatem minuit; animumque grata varietate delectat. Equitatio caeteris exercitii modis longe praeſtat; hanc autem ſi perferre nequeat aegra, exercitatio lenior, qualis ambulatio modica, et vectura in rheda eligenda. Exercitatio nimia pleno ventriculo ſumpta nocet; ventriculum debilitat, atque digeſtionem retardat: ideoque ante cibum captum, vel poſt digeſtionem peractam maxime prodeſt. Si neque tempus anni, nec aegrotantis imbecillitas eam foras exire permittant, corpus et extrema pannis aridis ac ſtrigili quam optime perfricentur; ac flatu urgente complures abdomen faſciis latis cingendo mirifice levatae fuerunt.

Navigatio a Cl. Gilchriſtio valde laudatur, et multae ab ea plurimum utilitatis hauſerunt.

Si aegrotans pleno ſeu vitiato corporis habitu ſit, fonticuli atque ſetacea, humores nocentes, nimisque abundantes eliminando, ſumma cum utilitate aſſociantur: et in hyſteria recente ab evacuationibus ſuppreſſis enata, ſi illae reduci nequeant, evacuationes quaedam factitiae eorum loco ſubſtituendae. Setacea vero, quippe quae majorem glutinis partem abſtrahunt, ad plethoram praecavendam caeteris palmam praeripiunt.

C. Mobilitatem a solidorum laxitate, aut systematis nervosi nimia sensibilitate, irritabilitate seu debilitate pendentem corrigendo.

Quod ad aërem; purum, apertum, ſiccum, gravem, frigidiuſculum, ventisque leniter agitatum atque conſtantem eſſe oportet: aër calidus, humidus, coarctatus, levisque, omnium complicationum corpori infeſtiſſimus eſt, ob naturam ſumme relaxantem. Aegra neque in arctis et calidis cubiculis commoretur, neque nimio ſomno matutino indulgere ſeſe adſueſcat; haec enim ſyſtema relaxant atque debilitant, plethoram ac mobilitatem augent, ſpiri-

tusque deprimunt. Perſpiratio libera promovenda, corpusque ab aëris inclementia, veſtibus, regioni annique temporibus aptatis, muniendum; et in regione ſeu tempeſtate frigida, praeſertim tempore brumali, induſium laneum propius cutem appoſitum, vaſorum extremorum actionem excitando, ideoque perſpirationem promovendo, ad valetudinem admodum confert. Sed in ſubitaneis veſtium mutationibus ſaepiſſime peccatur; ideoque, pro tempeſtatum varietate, veſtimenta gradatim mutari debent. Calorem ac frigus nimisque celeres ab uno in alterum mutationes, evitare oportet; ut et ſolis aeſtus meridianos, qui corpus valde relaxant debilitantque: a roribus matutinis atque veſpertinis, nec non a frigore praeſertim calente corpore, ſedulo cavendum.

De exercitatione in pagina 47 jam dictum fuit.

Vinum vetus meracum pro celeberrimo cardiaco jure habetur: non autem in nimia ſimul quantitate ſumendum; et vacuo ventriculo ſumptum, ideoque nervis magis immediate appoſitum, optimos edet effectus. Pulſum tardiorem, corpusque frigidius reddit; ſudores atque calores debilitantes arcet; atque ſpiritus viresque adauget. Si vinum in ventriculo,

ut aliquando fit, acefcat, liquores fpirituofi aqua bene diluti optimum potum praebent; et vino faepe anteponendi funt. Infufum zinziberis atque cinnamoni in cardiacum perjucundum multoties evadit.

Aqua levis frigida potum gratiffimum quandoque facit; appetitum exacuit, et alimentorum digeftionem valde adjuvat.

Ad animi ftatum ratio haud parva habenda. Mens tranquilla, quieta, et in perpetua leni agitatione fervanda: agitatio autem vehemens, ut et vigiliae nocturnae, quippe quae vim nervofam debilitant diffipantque, fugiantur. Aegra gratis amicorum colloquiis, aliisque blandimentis delectanda. Peregrinationes ac itinera per regiones amaenas et falubres, animum grata varietate delectando, corpusque reftaurando, in utilitatem admodum conferunt. Omnes graves animi perturbationes, res omnes ingratae, et omnia quae fenfationes feu commotiones moleftas excitant, caute evitari debent.

Plerumque, priusquam medicamenta huic morbo aptata propinantur, haud alienum erit primas vias emetico leni vel carthartico deplere: alvus regimine proprio, falibus neutris, pillulisve aloeticis mo-

dice soluta servanda; a catharticis vero fortioribus caute cavendum.

Secretiones, excretiones, statusque mensium ordine debito, quantum fieri potest, serventur: et omnia quae corpus debilitare tendunt evitentur.

Nunc tandem ad medicamenta in hoc morbo usitata perventum est; atque ab his quae tonicorum nomen sortita sunt incipiemus.

Diversa medicamenta sub hac denominatione corpus universum, praecipue vero canalem alimentarium constringendo et corroborando; ideoque nimiam sensibilitatem, irritabilitatem, ac mobilitatem, quae cum systematis laxitate saepenumero junguntur, tollendo, operantur. In casibus a mobilitate pura pendentibus, atque ad recursum periodicum vergentibus, optimos edunt effectus; si autem adsit quaevis status plethorici suspicio, cum periculo usurpantur.

Pro palmario remedio habetur cortex Peruvianus: ventriculum intestina ac systema totum roborat. Si quando ventriculo haud congruat, huic effectui obviam itur addendo quaedam ex calidis aromaticis, qualia sunt zinziber, cort. aurantiorum, pulv. cin-

namomi, cascarilla, et his similia. Tinctura spirituosa ventriculo saepe conveniet, quando aegra non ullam aliam formulam perferre potuit; atque haec praeparatio quibusdam gratior devenit additione spirit: lavendulae compositae; aut si acida stomacho congruant, elixir vitrioli ad gutt. xx vel xxx hujus tincturae cuilibet dosi cum fructu saepe jungitur.

Omnia ex ferro praeparata, ut et aquae chalybeatae, insignes habent effectus; ventriculum, intestina, totumque corpus roborando. Chylificationi valde inserviunt; atque in suppressione mensium ex tenuitate seu inopia sanguinis, aut ex colluvie serosa proveniente, summae utilitatis sunt. Si adadsit plethora sanguinea, nunquam in auxilium vocanda; ne haemorrhagias aliosve morbos febriles concitarent. Quod ad caetera tonica metallica; uti stannum, plumbum, cuprum, utpote parum in hoc morbo usitantur, de eorum effectibus nihil certi proferre possumus. Probabile est cuprum in hoc morbo, aeque ac in epilepsia adeo consimili, profuturum fore; sed experientia non adhuc ejus usum confirmavit.

Flores zinci sub tonicorum classe locum meren-

tur: atque in hoc morbo, praecipue ſingultu hyſterico, ut et in epilepſia a Cl. Gaubio valde laudantur.

Amara; ut radix gentianae, flores chamomeli, ſummitates centaurei minores, cortex aurantiorum, et alia hujusmodi multum proſunt; ventriculum roborando, a cujus atonia ſeu debilitate plurima in hoc morbo ſymptomata pendent. Aromatica iis cum utilitate crebro junguntur. Si quando ſub forma infuſionis exhibeantur, ſpirituoſa potior eſt vinoſa; quae in ventriculo in aceſcentiam ruere admodum proclivis reperitur: quibuſdam infuſio aquea melius conveniet; atque jucundior devenit additione aquae cinnamomi fortis, aut aquae aromaticae Phar. Edin.

Haec medicamenta diutius continuata tonum ventriculi haud raro deſtruunt, ſordiumque accumulationi favent, hinc, ab eorum uſu in aliquot dies abſtinere, et ventriculum pro re nata emetico leni deplere, oportebit. Si ab amaris ventriculus degravetur atque appetitus diminuatur; ab iis penitus deſiſtere, atque medelam aliis remediis tentare praeſtaret.

Notandum eſt, quod omnia medicamenta, quae tonicorum ſeu corroborantium nomine inſigniuntur, ad medelam obtinendam, per menſes, aliquando per annos, continuari debent; interdum vero in aliquod temporis ſpatium intermittenda, ne ventriculus ſordibus ut ab eorum uſu quotidiano ſaepe ſit, oneretur: in quo caſu, emetica lenia debitis intervallis ſumpta ad ſanitatem multum conferunt. Haec remedia, quamvis in hoc morbo multum collaudata, non omnia uno eodemque tempore ſubminiſtranda; modo illa, modo haec melius ſuccedent. Quando vero ſymptomata nervoſa a ſenſibilitate ſyſtematis nervoſi ortum ducentia pulſu celeri atque calore inſolito ſtipantur, amara atque ferri preparata nociva ſunt; quibus anteponatur infuſio corticis Peruviani in aqua frigida cum elixir. vitrioli ſumpta.

Quod ad delectum, doſes, conſociationem, atque diverſas horum medicamentorum formulas; ea omnia ad vires, habitum, coeteraque ad aegrotantem pertinentia, accommodentur: melius tamen in doſibus parvis ſaepiusque repetitis adhibentur.

Hicce loci de lavatione frigida, quae optimo cum

fructu ſaepe uſurpatur, pauca ſunt dicenda. Ejus effectus a tribus principiis pendere poſſint.

1. Cutem puram, porosque apertos ſervando; itaque perſpirationem promovendo.

2. Ab aquae gravitate in corpus premente; qua actio ſolidorum in fluida augetur; atque exinde circulatio liberior, nec non ſecretiones celeriores deveniunt.

3. A frigiditate, qua ſyſtema roborat et aſtringit, vaſorum extremorum cuticularium actionem excitat, ſpiritus hilariores reddit, ſenſibilitatem ac mobilitatem minuit. Tempore matutino vacuoque ventriculo optime uſurpatur. Tempeſtates anni huic maxime faventes ſunt ver, aeſtas et autumnus. Aegrotans ſubito praecepsque in aquam immergi, minimamque moram in ea facere debet. Corpus pannis aridis quam optime perfricetur; poſteaque leniter exerceatur. A balneo nimis frigido haud incipiendum; ſed primum moderatae frigiditatis eſſe, et poſtea ad frigidius gradatim augeri, oportet. Si arteriarum ictus pleniores et celeriores, color vividior, mensque hilarior deveniat; et ſi aegrotans gratum calorem poſt immerſionem perſentiat; haec

omnia in ejus usu persistendum esse indicant: si hisce vero contraria fiant, vel aliquid de frigiditate demendum; vel ab ea penitus abstinendum erit. Macilentis satis est, si ter quaterve in septimana laventur: obesioribus quotidie immergi liceat. Hoc, aeque ac cetera jam dicta remedia, diu continuari debet; iisque deficientibus, haud raro per se curationem absolvit.

Terroris modici gradus in hoc morbo prodesse quandoque observantur; atque duos casus hysteriae, unumque epilepsiae eo modo penitus curatos vidi.

Quod ad usum tonicorum observandum est, quod in sanguineis et plethoricis, non nisi post evacuationes debitas; atque in viscerum obstructionibus, summa cum cautela usurpentur. Horum vero remediorum, quamvis in hoc morbo praepollentium, ac meritissime comprobatorum, nimis tardi sunt effectus; ideoque ab alia quae vi sublevante magis subita, symptomata hysterica tollunt levantve, transire, saepe necessarium est. Atque de iis sub antispasmodicorum generali titulo agere arridet.

Medicamenta, quae sub hac denominatione latiori sensu sumpta comprehenduntur, vi sedante ac a-

nodyna, quaedam etiam vi ſtimulante, donantur; atque, ſyſtematis ſenſibilitatem ac mobilitatem minuendo, operantur. Eorum effectus in ſyſtema non ope circulationis ſola, ut quibuſdam viſum eſt, deferri, ab experimentis per opium factis, probabile videtur: hujuſce enim ſolutionem in inteſtina magna canis immiſſam, extremitatum poſteriorum paralyſis ſimul cum ſtupore et convulſionibus citiſſime ſecuta eſt: nec non eadem ſolutio, poſt aliquot dies, in ejus abdomen, per foramen in tegumentis factum, injecta, paralyſin ſtatim, atque pauca intra minuta mortem induxit. Ex quibus conſtat, quod opium breviori temporis ſpatio, quam quo in circulationem ferri poſſit, operatur. Et quod clarius adhuc evincit, corde ranae reſecto, eoque circulatione deleta, opii ſolutio in ventriculum atque inteſtina immiſſa, eoſdem effectus, ac ſi integrum ſit animal, produxit. Praeterea vires antiſpaſmodicorum repentinae, in paroxyſmis hyſtericis coërcendis, aut tollendis, noſtram opinionem haud leviter confirmant. Oportet igitur, ut alius ſit operandi modus: haec medicamenta in ventriculi nervos primos im-

petus facere; eosque ad fyftema totum per confenfum, qui inter ventriculum caeterasque corporis partes obtinet, propagari, verofimillimum videtur. Quin vero aliqua pars in circulationem defumpta, cordis et fyftematis vafculofi fenfibilitatem atque irritabilitatem confopiat, haud inficias ibo.

Inter antifpafmodica opium primum locum tenet. Vim fedantem ac anodynam exercet, et mire confert ad plurima fymptomata hyfterica levanda; eaque praefertim quae a nimia fenfibilitate ac irritabilitate fyftematis nervofi ortum ducunt. Non folum partis quam attingit, fed etiam fyftematis totius fenfibilitatem minuit. Convulfiones, fpafmos, ac dolores tollit, aut magnopere levat; pulfum fortiorem nec non tardiorem reddit; cephalalgiam naufeamque dimovet; et appetitum quandoque exacuit. Vel folida vel fluida forma adhiberi poteft; pofterior plerumque potior. A dofi minima primum incipere atque gradatim augere oportet. Si frequentius propinetur, faepenumero aufugiunt ejus effectus, ita ut ejus dofin fubinde augere neceffarium erit. Si ita irritabilis fit ventriculus, ut non ullo modo pre-

paratum retineat, enematis forma adhibitum, aut externe ventriculi regioni applicatum, ſymptomata adeo levabit, ut id, vel alia medicamenta per os propinari poſſint. Quaedam tamen incommoda ejus uſum ſequi dicuntur: nauſeam, vomitum, vertiginem et delirium quandoque concitat; in quo caſu ab ejus uſu deſiſtere par erit. Haec tamen jam dicta ſymptomata, ex eo quod in quantitate nimis parva ſubminiſtratur, interdum proveniant; et in doſi majori exhibitum nullos tales procreabit effectus. Opium enim vim ſtimulantem aeque ac ſedantem exerit; atque illa parvis, haec autem, majoribus portionibus adhibitis, pollet. Alvi conſtipationi quam producit, laxantibus lenibus, aut pillulis alecticis obviam itur. In temperamentis ſanguineis, et corporibus plenis venaeſectio, aut alia quaevis evacuatio, ejus exhibitionem praecedere debet. Si vero frequentius exhibeatur, nimisve diu continuetur hocce remedium, vires ventriculi coquentes nec non mentis facultates debilitat, ſyſtema relaxat, atoniam gignit, miſeramque recurſibus gravioribus ac frequentioribus obnoxiam reddit.

Hyoſcyamus in hoc morbo a quibuſdam collaudatur. Quamvis enim poteſtate anodyna minus quam opium pollet, hanc tamen utilitatem ſecum adfert, quod non alvum aeque ac opium conſtipat, e contra vero potius ſolvit; ideoque opio aliquando anteponendus eſſe videretur: eademque de cauſa opio conjunctus ſatis accommodate propinatur. Epilepticis atque hyſtericis procul dubio profuit, paroxyſmorum violentiam ac frequentiam coërcendo. Cl. Whitius ſe ejus extractum cum fructu adminiſtraſſe aſſeverat. Dira autem ſymptomata uti vertiginem, delirium, viſus obnubilationem, &c. crebro producit; ideoque cautiſſime doſibusque admodum finitis propinandus: atque ita incerti ſunt extractorum vires, ut eorum effectus haud certe ſpondere poſſumus. A medicis tamen obſervatum fuit, quod radici valerianae ſylveſtris conjunctus, tutius, doſibus largioribus, atque melioribus cum effectibus, ſubminiſtrari poteſt.

Proximum poſt opium locum tenent moſchus et aether; et ſaepe magno cum fructu adhibentur: paroxyſmum inſtantem mitiorem reddunt, haud raro penitus profligant.

Caſtoreum ſaepe ſummae utilitatis eſt; praecipue ubi miſera flatibus multum vexatur, et opio quandoque anteponendum: haud raro cum opio faeliciter jungitur.

Camphora quoque multum laudatur; ejus autem incommoda antea demonſtrata haud neceſſe erit hic repetere: deficiente opio aliquando proſpere ſuccedit.

Sales volatiles alkalini; ſpir. ſalis ammoniaci et cornu cervi; olea etiam empereumatica; ut ol. animale, ol. corn. cervi in faelices aliquando abeunt eventus. Valerianae ſylveſtris quoque radices ſummo cum fructu in hoc morbo uſitatos vidi.

Gummi foetidi hic quoque proſunt. Inter optimos habentur galbanum et aſſafoetida: in alvi adſtrictione aſſafoetida cum aloe conſociari debet, et ſi aegrotans flatibus infeſtetur; pillulae ex iis et ferro compoſitae optimum remedium ſeſe praeſtant. In eodem denique caſu, emplaſtrum ex gummis foetidis abdomini applicatum optimos ſaepenumero edit effectus.

Neque ſilentio praetereunda ſunt fomenta, pedi-

luvium, femicupium et potus tepidi; quae ego ipfe paroxyfmos mitiores reddere, aliquando penitus profligare vidi: et in hifce cafibus quibus opium nocivum foret, haud raro profpere fuccedunt. Syftema autem nimium relaxant morbique radices altius infigunt; ideoque cum cautela ut fubminiftrentur oportet.

Anne in hoc morbo admittendus eft mercurii ufus, qui in tetano aliisque morbis convulfivis adeo utilis comperitur.

Hic vero notare oportet, quod ubi in nervofis, feu hyfteriis adfunt pulfus celerior, calorque auctior; gummi foetidi, camphora, atque caftoreum ob qualitatem calefacientem admodum parce, fi unquam in ufum vocanda: hifce enim cafibus, in quibus pulfus tardus minusque plenus evadit, melius accommodantur.

Omnia quidem medicamenta fub antifpafmodicorum claffe prout pallativa tantum cenfeantur; ubi paroxyfmi nimis frequentes gravesque recurrunt, aegramque faevitia debilitant atque exhauriunt: acceffionem ingruentem mitigant, haud raro peni-

tus avertunt; et diu ſublevando, vel medelam perficiunt, vel inducias concedunt, donec medicamenta potentiora ſuos effectus edant. In acceſſionum intervallis, cum fructu rariſſime adhibentur: ſi paroxyſmi adventum quaedam ſymptomata propria, ut quandoque fit, praenunciant, vel ſi ejus recurſus periodici reperiuntur, paulo ante inſultum optime ſubminiſtrantur; uti tempus concedatur, quo ad ſyſtema totum perveniant eorum pleni effectus. Antiſpaſmodica tamen non liberius uſurpanda aut frequentius repetenda: quamvis enim miſeram pro tempore ſublevent, nimis fugaces ſunt eorum effectus; quos ipſos quotidianus eorum uſus quando maxime deſunt, tollet. Praeterea, corpus admodum relaxant ac debilitant, morbum pertinaciorem reddunt, ejusque recurſibus frequentioribus favent.

Ventriculi aciditas a teſtaceis, ſale tartari vel abſynthii, magnes. alb. &c. tollitur: et ſi adſit pituita viſcida aqua calcis, prout abſorbens et pituitam diſſolvens, optimum remedium facit. Eidem conſilio inſerviunt cortex peruvianus, amara, chalybeata, elixir vitrioli, cibus animalis, atque exercitium;

praesertim equitatio seu navigatio. Repetitae doses tincturae Rhei amarae, aut elixir sacri ventriculum atque intestina corroborando, ac pituitam viscidam evacuando ad sanitatem multum conducunt. Emetica quoque debitis intervallis adhibita cum fructu adsociantur; saepius autem repetita ventriculum debilitant: et quandoque singulis aquae haustibus spiritum vini gallici, infusum chamomeli vel raphani rustici, aut seminis sinapi pulverem addere haud alienum erit. Denique infusum chamomeli aut summitatum centaurei minoris summo mane ventriculo vacuo frigidum sumptum, postquam omnia alia medicamenta defecerunt, prospere frequenter succedit.

Palpitationes cordis a debili vel morbido ventriculi statu enatae, cortice peruviano, amaris, exercitio modico, quandoque emeticis, et alvi leni subductione oppugnandae: atque pro levamine subito spiritus cornu cervi, tinctura castorei composita, tinctura fuliginis, spiritus aethereus, opiata, et elixir proprietatis, remedia efficacissima jure censentur.

Ita diversae sunt quarundam mulierum naturae

ac idiofyncrafiae, ut medicamenta fumma cum cautela propinare oportet. In duabus enim aegris idem medicamentum diverfos faepenumero edit effectus; ita ut quod uni profuit, alteri multum nocebit: haud aliter, unum medicamentum optatos proferet effectus, ubi alterum etiam efficacius deficiet. Ideoque in diverfis foeminis diverfa medicamenta funt tentanda; et ubicunque quaedam deficient, ab alteris periculum faciendum.

Quandoque a medicamentis penitus defiftendum; praefertim ab amaris, quorum diuturnus ufus ventriculum, ut antea dixi, faepe debilitat. Complures, poftquam omnia alia fere medicamenta incaffum tentata fuere; commutando locum, regionem, et vivendi rationem, integerrime convaluerunt. Aliae quoque a balneo frigido et exercitatione modica multum utilitatis haufer unt. Denique matrimonium tempeftivum, ac puerperium faeliciffimos faepe protulerunt effectus.

Ad finem tandem perducta hac quali quali differtatione, nihil reliquum eft, nifi ut Profeffori-

bus Edinburgensibus, a quorum praelectionibus me per sexennium plurima utilia hausisse, nunc gratus recordor; debitas agam gratias. Praesertim vero THOMAE YOUNG, artis obstetricae professori clarissimo: item ALEXANDRO MONRO rei anatomicae professori, eandemque summa cum laude ac utilitate docenti: ut et GULIELMO CULLEN Medicinae usus professori illustrissimo. Quibus viris plurima beneficia, a singulis accepta, me revinxerunt, et in aeternum revincient. Valeant prosperrime; et tum in medicinae decus, tum generis humani commodum, atque levamen, in longam annorum seriem felicissimi vivant, floreantque.

Qui sui memores alios fecere bene merendo.

Erat vero nuper medicinae usus ac institutionum, in Academia Edinensi, professor; JOANNES GREGORY: quem, fato heu nimis crudeli amicis suis direptum, insignia in me quae manu haud parca contulit beneficia silentio praeterire vetant. Vir enim fuit omni virtute nobili ornatus: ob peritiam in literis universis aeque ac arte propria praeclarus ac illustris; ob ingenii summam probitatem, humani-